

R E S O L V T I O. A

Eua grauius, quàm Adam peccauit: si eius elationem, credulitatem, esusque ligni cupiditatem consideremus: Huiusque deceptiones, & impulsiones, nec non retractiua perpendamus.

Ade, & Eug
peccato cō
munia,

R E S P O N D E O dicendum, quòd tam in peccato viri, quàm mulieris possumus assignare quatuor, licet in peccato mulieris possemus etiam assignare plura. primo in vtroque fuit quidam elatio, quia quilibet eorum appetijt esse sicut Deus. Et quia secundum Augustinum voluerunt esse, vt Deus per se, idest per naturam suā, voluerunt esse similes Deo peruersè. ergo illam excellentiam, secundum quam appetierunt esse, vt Dij: appetierūt peruersè, idest inordinatè, & hoc est superbia: inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. & hoc fuit primū, quod fuit in peccato viri & mulieris. Habuerunt enim se nostri primi Parentes, quasi sicut se habent canes, qui statim cum sentiunt aliquem venire, clamant, non discernentes primo, vtrum veniens sit amicus, vel inimicus. Sic & primi Parentes statim post verba Diaboli apprehenderunt quendam modum excellentiæ diuinæ, & appetierūt eam non discernentes primò, quomodo hoc esset possibile, & vtrum talis appetitus esset rectus, vel peruersus, & ex appetitu illius excellentiæ tumefacti per superbiam peccauerunt. Et propter hoc dicebatur supra, quòd appetierunt diuinam excellentiam in quadam generalitate, & in quadam confusione, quia in appetitu alicuius rei, quāto magis consideratur, vtrum sit illud possibile, & per quem modum possit haberi, & vtrū ille appetitus sit rectus, vel peruersus; tanto ille appetitus est magis specificatus, quāto uero magis prætermittuntur ista: tantò ille appetitus est magis generalis, & confusus. Post hanc autem superbiam, & post hunc inordinatum appetitum propriæ excellentiæ statim excæcata fuit aliquāliter mens vtriusque, licet plus mulieris, quàm viri, & statim credidit aliquāliter verbis Diaboli vterque: licet plus mulier, quàm vir. Tertio post hanc credulitatem secuta est quadam cupiditas cuiusdam noxiæ curiositatis, vt appeterent quadam excellentiam scientiæ, & in hoc essent sicut Dij, licet hoc plus, vel intensius, & magis sine freno appetierit mulier, quàm vir. Quarto in vtroque fuit perpetratio actus, & esus ligni vetiti, quod prius fecit mulier, quàm vir, & per mulierem comedit vir. Ex quibus omnibus potest patere veritas quæsitæ, quòd omnibus computatis grauius peccauit mulier, quàm vir, licet aliquas circumstantias aggrauantes possemus assignare in viro: vt quia erat caput mulieris, vel aliqua talia, sed hæc non arguerent maiorem grauitatem peccati simpliciter, sed secundum aliquid. Tamen, vt melius appareat veritas quæsitæ: Volumus assignare deceptiones, quas potuit habere, & forte habuit vir, & impulsiones, & retractiua, vt ex omnibus his magis appareat veritas quæsitæ.

Dicemus ergo, quòd in viro potuerunt esse tres deceptiones, secundum quòd Augustinus tangit in diuersis locis. Vna quāto ad peccatum. Alia quāto ad Mandatum. Tertia quāto ad actum. Quantum ad peccatum autem creditur fuisse deceptus vir, quia fortè credidit esse peccatum veniale, quod erat mortale, & hanc deceptionem tangit Augustinus 13. de Ci. Secundo potuit vir esse deceptus quantum ad Mandatum. Nam cum Adam videret mulierē edisse deligno, & non esse mortuam, credidit fortè mandatum diuinum non esse omnino sic intelligendum, vt sonabat, & hoc satis innuit Augustinus 11. super Genes. circa finem.

Tom. 5. c. 2.

Tomo 3.

Tertio potuit esse deceptus vir, quantum ad actum, siue quantum ad esum ligni, quia non credidit simpliciter vera esse uerba Diaboli, quòd edendo de illo ligno, essent sicut Dij. nec credidit, quòd Deus, qui dedit eis humanitatem, inuideret eis, ne haberent diuinitatem, & ideo dedisse eis illud præceptum, ne comederent de illo ligno inuidens eis, quod si comederent fuissent sicut Dij. Propter quod sicut Salomon adorauit Idola non credens aliquid numinis esse in illis Idolis, sed plicatus amore Mulierum hoc fecit, sic Adam gustauit de illo ligno non credens ex hoc esse sicut Deus, sed nolens contristare delicias suas hoc fecit. Et propter hoc dicit Apostolus: Adam non est seductus, sed mulier, quia non simpliciter credidit Adam vera esse uerba Diaboli. sed licet Adam non fuerit in hoc deceptus simpliciter, ut crederet uerba Diaboli simpliciter esse vera; fuit tamen aliquāliter deceptus, sicut illi, qui uolunt probare experimentum non credentes ea simpliciter esse uera: uolūt tamen probare, an sint uera. quod non facerent, nisi aliqualem credulitatem haberent, quòd essent uera, sicut uerba Diaboli potuerunt decipere Adam, non quod crederet illa esse uera, quod edendo de ligno, esset sicut Deus. sed ut probaret, & experiretur, an sic esset. Gustauit de ligno, quod sine aliquā credulitate, quod uera essent uerba Diaboli, esse non potuit. Et hæc omnia tangit Augustinus 11. super Gen. circa finem.

Salomō adq
rauit Idola,
in eis nihil
numinis esse
credens.
3. Reg. 2.

1. Tim. 2.

Tom. 3.

Viso de Adam, quas deceptiones habuit. Restat uidere quas habuit impulsiones. Possumus autem assignare tres impulsiones, quia fuit ibi una impulsio a muliere, quæ hoc suadebat, & quamuis non exprimat in textu, quod mulier dando pomum uiro, aliquid persuaserit, sed solum, quod pomum dederit; credibile est, quod cum aliqua persuasionem dedit.

Adam habuit impulsiones ad peccandum

Secunda impulsio fuit non solum a muliere, quæ hoc persuadebat, sed etiam a muliere, quæ diligebat. Vnde Aug. 11. super Genes. circa finem ait, quod Adam postquam de ligno uetito mulier se ducta manducauit, ei quoque dedit, ut simul ederent, noluit eam contristare, quam credebatur posse sine suo solatio contabescere. Voluit ergo Adā edere de ligno simul cum muliere, ne illa separata ab eo contabesceret, & periret. Et subdit, quod Adam non carnis uictus concupiscentia (quam nondum senserat, non resistente lege membro- rum

rum legi mentis sue) sed amabili quadam bene uolentia, quaplorimum fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus. Sicut ergo primum impulsium fuit persuasio, sic secundum fuit beneuolentia, vel quædam adhesio amoris, quam habebat ad mulierem.

Fuit autem ibi & tertium impulsium, scilicet suggestio Diaboli, quia sicut mulier suggerebat exterius, sic Diabolus immittendo malas cogitationes circa hoc suggerebat interius.

Tertio videndum est, quæ fuerunt ibi retractiua.

Adæ quæ fuerunt retractiua peccato.

Possimus autem assignare tria retractiua, quæ tamen non retraxerunt, ne progrediretur in actum, & ne violaret præceptum, quia progressus est in actum, & violauit præceptum, & comedit de ligno vetito: tñ hoc fecerunt illa retractiua, quæ non ita intense, nec cū tanto aīo comedit de ligno vetito, & violauit præceptum, sicut fecit Eua.

Fuerunt autem illa retractiua, quia Adam erat ratione præstantior, ut patuit supra: & quia cogitauit de sua penitentia, & de Dei misericordia, ut habetur in littera. Cum ergo ratio retrahat a malo, quia secundum Philosophum in Ethicis, ratio semper deprecatur ad optima. Credendum est, quod ratione præstantior non ita permittat se sine frano in peccatum labi, sicut non præstantior. Sic etiam dato, quod quis peccet, & cum peccat cogitat de sua penitentia, & de Dei misericordia, non sic effrenè peccat, sicut qui hoc non cogitat. Ex omnibus autem istis, & ex quolibet istorum possumus concludere peccatum mulieris fuisse grauius. Nam si consideremus prima quatuor, videlicet per elationem, credulitatem, cupiditatem, & actum, siue esum ligni, patet, quod non ita inhesit elationi vir, sicut mulier, nec sic ardentè affectauit excellentiam illam, quod esset sicut Deus, sicut affectauit mulier: cum non esset sic seductus, sicut fuit mulier. De crudelitate etiā non sic credidit verbis Diaboli, sicut mulier, & credendo verbis Diaboli, non sic ardentè concupiuit scientiam, quam promisit Diabolus, sicut mulier. Ipsum etiam actum, & ipsum esum ligni non credendo simpliciter verbis Diaboli, sicut mulier, nō ita effrenè hoc perpetravit, sicut mulier, & insuper si considerentur deceptiones Adæ, & eius impulsiones, & retractiua ex omnibus, & ex quolibet eorum, apparere poterit, mulierem plus peccasse.

RESP. AD ARG. Ad primum dicendum, quod cum dicitur, quod vir est caput mulieris, & est ratione præstantior, ergo plus peccauit, si considerentur præhabita, magis est ratio ad oppositum, quam ad propositum. Nam, quia vir erat ratione præstantior, non ita effrenè prorupit in actum illum, & in esum ligni sicut mulier, & ex hoc mulier plus peccauit. Ad formam autem arguendi dici potest, quod plus peccat, qui est caput, & qui est ratione præstantior, quam alius. verum est, si equè effrenè prorumpat in peccatum sicut alius, quod non fuit in Adam, & Eua.

Ad secundum dicendum, quod vir, & mulier peccauerunt pari fastu, quia nullus dixit suam culpam, nec dixit se peccasse, sed quilibet suam culpam excusabat per alium, & iactabat in alium, ut vir in mulierem, & mulier in serpentem, & quilibet comedit de ligno vetito. Tamen, ut patet per habita, & ut vult Magister in littera, magis peccauit mulier, quia magis effrenè comedit de ligno vetito, & magis adhesit verbis Diaboli, quod esset sicut Deus, quam vir.

Ad tertium dicendum, quod eodem genere peccati peccauerunt, ut per elationem, & eodem modo, quia quilibet concupiuit esse sicut Deus. Tamen in illo eodem genere peccati, & illud idē appetendo peccauit minus vir, quam mulier. quia non sic credens verbis Diaboli, non sic ardentè appetijt, quod promittebat Diabolus, sicut appetijt mulier.

Ad quartum dicendum, quod peccare in spe veniē, vel in spe misericordiæ dupliciter potest esse, vel præsumendo, ut credendo Deum esse misericordē, quod nullo modo sit iustus: & si isto modo præsumat quis de quibuscunq; illicitis actis habere veniam, & non puniri, istud est valde peccatum magnum, quia tale peccatum est peccare in Spiritum sanctum, quia inducit peccantem ad finalem impœnitentiam, ut non peniteat, ex quo non credit se puniri: sed cogitare de venia per pœnitentiam habēda, quod fecit Adam, non aggrauat peccatum, sed retrahit peccantem, ne sine frēno feratur in peccatum.

Peccare spe veniē quādo peccatū est in Spiritu sanctū.

Q V A E S T. II.

C De primorum Parentum ignorantia.



O S T E A quæritur de secundo principali, videlicet de ignorantia. Circa quā quæruntur quatuor. Et primo Vtrum primi parentes peccauerint per ignorantiam. Secundo vtrum ignorantia

fit peccatum. Tertio vtrum possit esse causa peccati. Quarto vtrum excuset peccatum.

A R T I C. I.

D An primi Parentes per ignorantiam peccauerint. Conclusio est negativa.

D. Bon. d. 22. art. 2. q. 1. Ric. d. 22. q. 5. Seco. d. 22. q. 1. Bacc. d. 22. q. 1. Biel. d. 22. q. 2. Th. Arg. d. 22. q. 1. art. 3. Ant. And. d. 22. q. 1. Landul. d. 22. q. 2. Gorra. d. 22. q. 2. Voril. d. 22. q. 4. Nic. de Nijse tract. 2. p. 2. q. 4.



D P R I M V M sic proceditur: videtur, quod primi Parentes peccauerunt per ignorantiam, quia Aug. 14. de Ciui. Dei. videtur velle peccatum primorum Parentum fuisse ex infidelitate, sed tales peccant per ignorantiam, quia, ut habetur

Tomo 5. c. 17.

rut

1. Eth. c. vii. idē d. 24. q. 1. ar. 3. dub. 1. lat. Et d. 39. q. 1. art. 3.

Esa. 11.

tur Esa. secundum aliam litteram: Nisi credideritis, non intelligetis. Infideles ergo non credentes peccant non intelligendo per ignorantiam. ergo &c.

Præterea videtur saltem, quod Eva peccauerit per ignorantiam, quia secundum Isidorum 2. de sum. bo. c. 17. ignorantia namque modo peccauit in Paradiso Eva, quia secundum Apostolum peccauit seducta, ergo per ignorantiam.

Præterea eod. lib. & c. dicit Isidorus, quod tribus modis peccatum gignitur: infirmitate, ignorantia, & industria, sed primi Parentes non peccauerunt ex infirmitate, quia nondum habuerunt passionem carnis: nec peccauerunt ex industria, siue ex certa malitia, quia peccauerunt tentati a Diabolo, ergo &c.

Præterea quilibet primorum Parentum videtur peccasse per deceptionem, credendo verbis Diaboli, vel deceptus per illa verba. Nam non solum mulier fuit decepta, sed etiam ipse Adam. quia, ut patuit ex præcedenti questione, fuit tripliciter deceptus. sed peccare per deceptionem est peccare per ignorantiam, ergo &c.

Tomo 1.

IN CONTRARIUM est August. in d. libe, arb. quod approbare falsa pro veris non est natura hominis instituti, sed poena damnati. sed peccans per ignorantiam approbat falsa pro veris, ergo &c.

Tomo 1.

Præterea ignorantia est quædam poena secundum August. 1. Retra. Sed iusta est poena peccati, ergo antequam peccarent primi Parentes non poterat in eis esse ignorantia, nec poterant primo peccare per ignorantiam.

R E S O L V T I O.

Primi Parentes superbia peccauerunt: Hinc eos ignorantia peccasse non credimus. Si autem eorum peccatum ad infidelitatem referatur; errorem, & ignorantiam quandam, nescientiamque in eis ponendam esse non ambigimus.

Superbia
peccatum pri-
mum.

R E S P O N D E O dicendum, quod primum peccatum primorum Parentum fuit elatio, vel superbia, secundum quam nullus eorum peccauit per ignorantiam. Nam prius, quam aliquis eorum crederet verbis Diaboli, in qua credulitate fuit deceptio, & quædam ignorantia, quilibet eorum petijt inordinatè quandam excellentiam, quam appetendo commiserunt peccatum superbiæ, quod de muliere planè patuit supra per August. quod non credidisset verbis Serpentis, nisi prius elationem habuisset in mente. quod de viro patet multò magis verum esse, quia vir nunquam simpliciter credidit verbis Diaboli, & ex hoc dicitur non fuisse seductus. Primum ergo eorum peccatum non fuit per ignorantiam, sed per superbiā, quilibet tamen eorum hoc commisit ignorans. Nam Philosophus 3. Eth. fecit differentiam inter peccare per ignorantiam, & peccare ignorās. Nam tunc quis peccat per ignorantiam, quando ignorantia præcedit, & est causa peccati, sed tunc peccat ignorans quando ignorantia directè non

Peccare per
ignorantiā,
& ignorans
differt. ex
Arist. 3. Eth.
cap. 1.

A præcedit, sed quasi concomitatur, sicut patet de lingua, quod quis per linguam posset gustare amarum, vel per deceptionem, vel deceptus, ut si crederet fel esse mel, & gustaret ipsum, credens esse dulce, gustaret per deceptionem, quia deceptio fuit causa, quare gustauit credens ipsum esse dulce. Sed si haberet infectam linguam colera, gustando rem dulcem, videretur sibi amara propter infectionem colerae. talis sic gustas non gustaret per deceptionem, sed gustaret deceptus, quia propter infectionem iudicaret amarum, quod non esset amarum, sed appareret amarum. Et quod dictum est de amaro, veritatem habet de dulci: ut si lingua esset infecta flegmate iudicaret dulce, quod non esset dulce, & tale est omne peccatum, & omnis peccans est ignorans, iuxta illud Philosophi in 3. Eth. Omnis malus ignorans. Sic enim inficitur lingua, ut iudicet amarum dulce, & e contrario: sic inficitur appetitus, ex qua infectione peruertitur iudicium, ut iudicet malum faciendum, quod non est faciendum, & e contrario. Vnde quilibet malus peccat ignorans, vel deceptus, quia in peccato commissionis iudicat faciendum, quod non est faciendum. In peccato verò omissionis non iudicat pro illo tempore faciendum, quod est faciendum, siue hoc sit ex negligentia, quia nihil cogitat tunc, & ideo nihil iudicat: siue hoc sit non ex negligentia, sed propter aliquem laborem, quem habet annexum ille actus, ut iudicat non esse eundem ad Ecclesiam etiam pro illo tempore, quo tenetur, quia non vult laborare, & redet eum ire.

C Primi ergo Parentes non commiserunt primum peccatum, quod fuit superbia, per ignorantiam, sed bene commiserunt illud ignorantes, quia si cogitassent omnia mala, quæ inde accidere possent, & quæ inde acciderunt, fortè non peccassent, sed si consideremus alia, quæ secuta sunt elationem illam primam: possumus dicere, quod peccauerunt per nescientiam, per ignorantiam, per errorem, & aliquo modo per infidelitatem, ut faciamus differentiam inter omnia ista, ut dicatur nescientia defectus scientiæ, quam quis, vel simpliciter, vel pro illo tempore non tenetur scire. talis enim defectus scientiæ potest esse etiam in bonis Angelis. quia nulla creatura est omnino perfecta: Oportet ergo, quod in ea sit aliqua nescientia, vel defectus alicuius scientiæ: Propter quod Angeli superiores purgant, illuminant, & perficiunt inferiores. Purgant quidem remouendo ab eis aliquam nescientiam: illuminant actu docendo eos: sed perficiunt per illum actum doctrinæ adgenerando in eis scientiam. Possent autem hæc fortè aliter adaptari, sed hæc ad præsens sufficiant. Hæc ergo dicta sunt de nescientia: Sed ignorantia plus dicit, quia non solum dicit defectum cuiuscunque scientiæ, sed defectum scientiæ aptæ natæ tunc inesse. Nescientia ergo dicit negationem scientiæ, sed ignorantia dicit priuationem scientiæ. Error verò ultra priuationem addit actum contrarium, ut tunc est error quando non solum caret scientia, quam debet habere, sed etiam opinatur contrarium veritati. sed tunc est igno-

Malus quilibet peccat ignorans, non tamen semper per ignorantiam. 3. Eth. c. 1.

Adam, & Eva peccauerunt ignorantes, non tamen per ignorantiam.

Nescientia quæ.

Ignorantia quæ.

Error quis.

ignorantia quando nescit veritatem eius, quod tenetur scire.

Infidelitas
quæ.

Infidelitas dicitur specialem modum erroris in his, quæ spectant ad fidem, vel ad bonos mores. Nam error esse potest in mere speculatiuis: vt si quis opinaretur falsum esse triangulum habere tres æquales, & crederet contrarium esse verum. Infidelitas ergo continet omnia prædicta. Nam infidelis, & errans in fide, habet in se errorem, sicut speciale continet in se generale: & habet in se ignorantiam, quia maximè tenetur quilibet scire, quæ sunt fidei: & habet in se nescientiam, quia habet defectum scientiæ eorum, quæ pertinent ad fidem, vel ad bonos mores. Cum ergo August. 14. de Cui. videatur velle primos Parentes peccasse per infidelitatem. Dato tamen, qd August. hoc non diceret; ex ipsa tamen veritate patet sic esse. Nam statim post illum inordinatum amorem propriæ excellentiæ, secundum quem quilibet peccauit appetendo esse sicut Deus, statim quilibet eorum secundum aliquem modum plus credidit Diabolo, quàm Deo. Nam quilibet eorum credidit vera esse verba Diaboli. Quod si dicatur, quod mulier hoc credidit simpliciter, sed non viri; Dicemus, qd, vt patet ex habitu, aliquem modum credulitatis habuit in verbis Diaboli etiam ipse vir. Cum ergo in ipsa infidelitate contineatur error, ignorantia, & nescientia; primos Parentes peccando per infidelitatem possumus concedere eos peccasse per errorem, ignorantiam, & nescientiam.

Adg. & Euz
infidelitas.
tom. 5. c. 13

RESP. AD ARG. Ad primum dicendum, quod; vt patet, non est absolute concedendum primos Parentes peccasse per ignorantiam. Nā hoc falsum est, si intelligatur de primo peccato eorum, quia primum peccatum eorum fuit superbia. Illa tamen superbia hoc fecit in eis, vt simpliciter quantum ad mulierem, vel aliquo modo quantum ad virum magis crederent verbis Diaboli, quàm verbis Dei. quod sine infidelitate esse non potuit. & quia in infidelitate continentur alia tria; error, ignorantia, & nescientia; primi Parentes credendo verbis Diaboli, & ex hoc peccando per infidelitatem, peccauerunt per errorem, ignorantiam, & nescientiam. Cum ergo dicimus, quod nescientia est eorum, quæ scire quis non tenetur. Ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur. Error verò est assertio falsi, hoc non est quin nescientia sit, quid commune ad ignorantiam, errorem, & etiam infidelitatem. Nā quando aliquid est commune ad plura, & aliqua ex eis habent nomen speciale; quod non habet nomen speciale, retinet sibi nomen commune. quia ergo nescientia eorum, quæ quis tenetur scire, habet nomen speciale, & dicitur ignorantia; Nescientia verò cuiuscunque veritatis cum assertionem contrarij, & cū assertionem falsi contrarij illi veritati, habet nomen speciale, & dicitur error. Quod si sit error in his, quæ sunt fidei, & morum, habet nomen speciale, & dicitur infidelitas. Ideo nescientia eorum, quæ quis non tenetur scire, quæcunque sint illa, non habens nomen speciale, retinuit sibi nomen commune, & vocata est nescientia. & si bene consideretur,

Adg. & Euz
nescientia,
ignorantia,
error, infidelitas.

Notè specia-
licat. & cōc
retinet.

ventur, quæ dicta sunt, patet quomodo illa quatuor se habent ad inuicem. Et patet quomodo primi Parentes per omnia illa quatuor peccauerunt quantum ad peccatum, quod commiserunt per infidelitatem credendo verbis Diaboli.

Ad secundum dicendum, quod etiam peccauit per ignorantiam, non quantum ad primum peccatum, sed quantum ad peccatum aliud subsecutum, vel quantum ad peccata alia subsecuta, quæ commisit, credendo verbis Diaboli.

Aduertendum tamen, quod Isidorus in illo loco præallegato videtur velle, quod Eva peccauit per ignorantiam; sed non Adam, allegans, quod Eva fuit seducta, sed non Adam: Tamen ipse etiam Adam aliquo modo credidit verbis Diaboli, quibus credendo peccauit per infidelitatem, & per ignorantiam, & per quæcunque alia importata per infidelitatem.

Ad tertium dicendum, quod per iam dicta, quomodo peccauerunt per ignorantiam. Et per hoc patet solutio ad quartum, quia primi Parentes prout fuerunt decepti peccauerunt per ignorantiam.

RESP. AD ARG. IN CONTR. Ad argumenta autem in contrarium dicendum, quod non concludunt, primos Parentes non peccasse per ignorantiam, sed quod primum peccatum eorum non fuit ignorantia, quod patet verum esse, si considerentur præhabita.

ARTIC. II.

*An ignorantia sit peccatum.
Conclusio est affirmatiua.*

C

D. Th. 1. 2. q. 76. art. 1. Et 2. Sent. d. 22. q. 2. ar. 1. D. Bon. d. 22. ar. 2. q. 2. Ric. d. 22. q. 6. Guill. Alti. 2. Sent. cap. de ignor. Alex. de Ales 2. p. q. 129. ar. 1. Dur. d. 12. q. 3. Brul. d. 22. q. 2. Biel. d. 22. q. 2.



DE SECVNDVM sic proceditur: videtur, quod ignorantia non sit peccatum, quia peccatum opponitur virtuti, sed secundum Philosophum 2. Ethic. Scire modicum utile est ad virtutem. si ergo scire modicum facit ad virtutem; ignorantia, quæ opponitur scientiæ, modicum facit ad peccatum. Vel possumus ex hoc arguere, si scire secundum se non est meritorium, ergo ignorantia secundum se non erit demeritoria, ergo nec erit peccatum.

Scire modicum utile ad virtutem: operari vero multum. 2. Ethic. c. 2. & 4. Et 10. Ethic. c. 9.

D

Præterea secundum August. in de vera Relig. Omne peccatum adeo est voluntarium, qd si non est voluntarium non est peccatum: Omne ergo peccatum est in voluntate, sed ignorantia est in intellectu, ergo &c.

Tom. 1.

Præterea omne peccatum deletur per poenitentiam, sed ignorantia non deletur per poenitentiam, ergo &c.

Præterea omne peccatum, vel est actuale, vel originale, sed ignorantia non est peccatum actuale, cum sit defectus scientiæ: nec est peccatum originale,

Originale. quia licet oriamur cum ignorantia, vel cum quadam nescientia, illa tamen nescientia non tollitur per baptismum, sed peccatum originale tollitur, ergo &c.

Præterea, quandiu durat tempus ignorantiae, semper ignoramus. ergo si ignorantia esset peccatum, quandiu duraret ignorantia, semper peccaremus, quod non videtur conueniens.

IN CONTRARIUM est, quia secundum Apostolum I, ad Cor. Qui ignorat ignorabitur, sed nullus dicitur ignorari a Deo, nisi propter peccatum, quia fatuis virginibus, id est peccatoribus dicitur: Nescio vos, ergo &c.

Mat. 25.

Esa. 5.

Præterea Esa. dicitur: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. sed non captiuatur spirituali captiuitate aliquis, nisi propter peccatum, ergo &c.

R E S O L V T I O.

Ignorantia non solum ratione annexi, sed etiam ex se peccatum esse dicimus: modo ignorantia sit affectata, vel neglecta: inuincibilis autem non item.

RESPONDEO dicendum, quosdam dixisse nullam ignorantiam esse de se peccatum, sed ratione alicuius annexi, uel præcedentis, vel sequentis. Potest enim aliquid, quod est peccatum, præcedere ignorantiam, ut puta negligentia discendi. Illa ergo negligentia est peccatum, sed ignorantia secuta illam negligentiam non est peccatum, sed effectus peccati. Sic etiam affectio ignorantiae potest præcedere ignorantiam, quia quis potest affici ad hoc, quod ignoret, & potest affectare, & velle illam ignorantiam, quia de multis verificatur illud Psalmi: Noluit intelligere, ut bene ageret, & hoc est maius peccatum velle se ignorare, quam negligere, & non dare operam, ut ignorantiam fugiat, & scientiam acquirat. Illa ergo negligentia, & illa affectatio ad ignorantiam, ut dixerunt aliqui, habuerunt rationem peccati. non autem ipsa ignorantia, & quod dictum est de præcedentibus ignorantiam, potest habere veritatem de sequentibus eam, quia sicut aliqua peccata præcedunt ignorantiam, & possunt causare ignorantiam, sic aliqua peccata possunt sequi ignorantiam, & causari ab ea. Nam & Sancti, & Philosophi concedunt peccata posse causari ex ignorantia, & distinguunt peccata, quod aliqua causantur ex ignorantia, aliqua ex alia causa. Negantes ergo ignorantiam esse peccatum, dicerent, quod peccata possunt causari ex ignorantia, sed ex hoc ignorantia non debet dici peccatum, sed causa peccati, & illa sic causata debet dici peccata. non autem ignorantia ipsa. Nam omnis causa peccati deberet dici peccatum, cum sit causa peccati.

Privatio eorum, quæ quis debet habere, & privatio gratiæ an sit peccatum.

Contra hoc autem obijciunt aliqui, quod ad rationem peccati sufficit privatio eorum, vel alicuius eorum, quod quis tenetur habere, & specialiter si illa privatio sit aliquo modo volita. sed sic absolutè loquendo, non videtur verum esse,

A quod dicitur. Nam, quod quis teneatur habere hoc, vel illud, non potest intelligi simpliciter, sed cum hac additione: si vult consequi talem finem, ut, iste tenetur habere nauim, si vult transire mare. Hoc ergo modo quilibet tenetur scire pertinentia ad salutem, si vult saluari, secundum quem modum etiam tenemur habere gratiam, quia sine ea saluari non possumus. Privatio ergo gratiae, quam tenemur habere, si volumus saluari, esset peccatum. Sic ignorantia, & defectus scientie pertinentium ad salutem, quæ tenemur scire, si volumus saluari, esset peccatum. Sed privatio gratiae est effectus peccati, & est poena peccati: Non tamen proprie est peccatum, quia tunc quilibet habens gratiam non posset aliquo modo peccare, nisi peccaret duplici peccato, videlicet peccato, per quod deficit a gratia, & ipso defectu gratiae, quæ proprie non sunt duo peccata, sed vnū illorum se habet, ut peccatum, aliud verò, scilicet deficere a gratia, se habet, ut effectus peccati. Sic etiam & ignorantia licet possit causari ex peccato, & causare peccatum; non tamen ipsa in se videtur esse peccatum. Et quod dictum est de ignorantia, quod potest causari ex peccato, & causare ipsum, veritatem habet de defectu gratiae, quem posse causari ex peccato non est dubium. quia non est dubium, quod per peccatum deficimus a gratia. Nec etiam debet esse dubium, quin possit defectus gratiae causare peccatum, quia peccatum secundum Sanctos, quod per penitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit.

C Assignanda est ergo aliqua specialis causa, quare ignorantia dicatur esse peccatum. Nam si præfata possent aliquo modo palliari, vel aliqualem responsionem habere; certum est non esse sufficiens dictum, ignorantiam esse peccatum, nisi assignetur specialis causa, quare dicatur esse peccatum.

Dicimus ergo, quod cum non debeatur iusta poena, nisi propter peccatum, ut potest patere per August. in de vera Relig. omne illud, propter quod nobis debetur iusta poena, potest dici peccatum. Et si habet specialem rationem, quare ex ea debeatur nobis iusta poena, debet dici speciale peccatum. Nec tamen est dubium, non esse omnino simile de defectu gratiae, & de defectu scientiae, siue de ignorantia, quia semper gratia est quid supernaturale, sed non semper scientia est quid supernaturale, sed possumus naturaliter acquirere aliquam scientiam, & hoc modo ignorantiam naturaliter fugere. Assignabimus ergo specialem causam, quare ignorantia habet rationem peccati, & maxime si sit volita: quia si nullo modo volita esset, sed etiam omnino inuincibilis, prout in prosequendo patebit, nullo modo esset peccatum, licet possit esse poena peccati: Sicut ergo alia peccata ex ipso velle contrahunt rationem peccati, id est culpæ sic & ipsa ignorantia. Est tamē ignorantia specialis ratio peccati ex eo, quod quilibet ignorans expositus est maximo periculo. Si ergo ad ignorantiam concurrat, aliquo modo velle, cum velle se exponere tanto periculo non sit sine peccato, oportet ignorantiam esse peccatum, quia

Tom. I.

quia est quædam obliquitas a statu salutis, & omne tale est peccatum, & culpa. Est enim peccatum, & culpa in alijs potentijs, vt intemperantia est in concupiscibili, & speciale complementum, vt talia sint peccata, habent ex regula rationis, quia pro tanto sunt peccata inquantum sunt contra regulam rationis, & complementum culpæ sumunt ex affectione voluntatis, vt intantum sunt culpæ, inquantum sunt aliquo modo volita: & intantum sunt peccata habentia rationem culpæ, inquantum sunt aliquo modo volita; Ignorantia ergo est peccatum, quia est contra rationem, si possumus eam fugere: & est culpa, si sit aliquo modo volita. Quod autem ignorantia sit peccatum, & culpa ratione periculi, ad quod disponuntur ignorantes, potest patere ex Glo. super illo verbo: Ignorans, quoniam benignitas Dei, &c. vbi Glo. distinguit peccatum graue, & grauius, & grauissimum. Grauius enim peccat condemnans alium, si faciat, quod condemnat, quia videtur præsumere, quod non puniatur, sed grauius peccat, si non peniteat, quia ex hoc videtur contemnere diuitias bonitatis diuinæ. Sed grauissimè peccat secundum Glo. Si ignorat se illas diuitias bonitatis contemnere. Ignorans ergo se contemnere illas diuitias est grauissimum peccatum, vt communiter exponitur, & bene ignorans peccat grauissimè, idest periculosissimè. Melius enim esset, & non esset in tanto periculo, si quis infirmaretur maiori morbo, & non ignoraretur causa morbi, quàm si infirmaretur minori, & ignoraretur causa, cum hæc sit vniuersalis cura in omnibus egritudinibus causas abscindere. Bene ergo dictum est, quod communiter dicitur, quod ipsa ignorantia potest esse peccatum, & habet, vt patet, de se, & ex quadam periculositate quadam specialem rationem peccati.

D V B. I. L A T E R A L I S.

*An quandoque ignorantia non sit peccatum.
Conclusio est affirmatiua.*

Idque de inuincibili affirmatur, quæ potest esse pœna peccati.

D. Th. 1. 2. q. 76. ar. 3. 4. Et 2. Sent. d. 2. q. 2. ar. Et 4. d. 9. q. 2. ar. Et de Malo q. 3. ar. 8. D. Bon. d. 2. ar. 2. q. 3. Ric. d. 2. q. 7. Guil. Alti. 2. Sét. c. 29. Biel. d. 2. q. 2. Dur. d. 2. q. 4.



V L T E R I V S fortè dubitaret aliquis, quando ignorantia est peccatum, & quando non. Dicendum, quod loquendo de peccato, vt loquuntur Sancti pro eodem accipientes peccatum, & culpam, oportet, quod peccatum siue culpa quoddam formale complementum accipiat a voluntate, vel communicante, & expresse volente, vel omittente, & negligente. Erit ergo triplex ignorantia Comissionis, Omissionis, & Inuincibilis. Ignorantia ergo comissionis, quia ipsa voluntas committit aliquem actum, propter quem illa ignorantia habet rationem peccati, vel culpæ, communiter dicitur ignorantia affectata, quæ ex ipsa re patet debere habere tale nomen.

Ignorantia triplex.

Ignorantia comissionis

A Nam si ignorantia placet ignorantia sua, & voluntas committit, vel emittit actum, per quem committit sibi illa ignorantia, patet talem ignorantiam esse volitam, & affectatam. & hoc modo, cæteris paribus, talis ignorantia est maius peccatum, quàm aliqua alia ignorantia. Dicimus autem, cæteris paribus, quia posset contingere, quod quis affectaret ignorantiam rei modicæ, & alius non affectaret, sed negligeret ignorantiam rei tanto maioris, quod maius peccatum esset ignorantia illa per negligentiam, quam illa, quæ esset volita, & affectata.

Ignorantia volita, vel affectata.

Reuertamur ergo ad propositum, & dicamus, quod cum omnes homines naturaliter scire desiderant, vt dicitur in princip. Metaph. impossibile est, quod ignorantia sit volita per se: Potest autem esse volita per accidens, vt qui potest velle ignorare, ne remordeat eum conscientia, vt magis sine remorsu, & sine freno peccare possit. Multi namque sunt tales, de quibus dicitur in Iob, quod dicunt Deo: Recede a nobis. Scientiam enim viarum tuarum nolumus. & ista ignorantia, cæteris paribus, est grauius peccatum, quàm aliqua alia.

Tex. c. 1.

Iob 21.

Est autem alia ignorantia aliquo modo pertinet ad voluntatem non directè, quod sit volita, & affectata, sed indirectè propter aliquem laborem, quem habet annexum, vt quia tædet aliquem laborare, & ideo negligit dare operam ad sciendum, & talis ignorantia minus habet de voluntario, quàm prima, & ideo, cæteris paribus, est minus peccatum. Libenter enim sic ignorans vellet scire, sed non vult laborare, vt sciat propter quod talis ignorantia aliquid habet de voluntario: cū in voluntate nostra sit velle laborare, vel non laborare. Talis enim ignorantia licet non possit dici affectata, potest dici neglecta, vel per negligentiam continuata, & si comparata ad voluntatem non potest dici commissæ, quia nihil committit voluntas ad persistendum in tali ignorantia, quia non vult nec affectat eam; tamen potest dici ommissa, quia omittit voluntas laborare, & negligit operari, vt effugiat ignorantiam illam. Talis autem ignorantia a Iuristis appellatur crassa, vel supina. Nam sicut crassi, & pingues habent quandam ponderositatem, vt non sint ita habiles ad laborandum sicut alij, & libentius fugiant laborem, quàm alij, dicitur quis habere ignorantiam crassam, quando non vult laborare, vt sciat. Sic etiam, qui iacet supinus magis est ineptus ad surgendum, & ex hoc ad laborandum, vt sciat. Membra enim nostra, per quæ surgimus, curuantur ad partem posteriorem, vt crura curuantur versus posterius: Stans ergo supinus vertit se, vt possit curuare crura, quibus curuatis surgat. Pingues ergo, & iacentes supini sunt magis indispoti ad laborandum, quàm alij. Ideo ignorantes, & nolentes laborare, vt sciant, dicuntur habere ignorantiam crassam, & supinam, & quia in tali negligentia, & nolle laborare sunt gradus: Ideo possunt differre ignorantia crassa, & supina, put vnum istorum potest dicere maiorem ineptitudinem ad laborandum, quàm aliud, vt ex hoc vna illarum ignorantiarum possit videri maior alia.

Ignorantia omissionis, & crassa, seu supina.

Est

Ignorantia
inuincibili-
lis.

Est autem & tertius modus ignorantia, qui nec est affectatus, nec neglectus, ut cum aliquis nec afficit, nec ignorat, nec negligit quantum potest dare operam, ut sciat, sed non fortè occurrit sibi, ut possit illud scire: Talis enim ignorantia dicitur inuincibilis. & quia nullo modo est volita, secundum, quod huiusmodi non est peccatum, licet possit esse pœna peccati, quia ex primis Parentibus multa circa hæc cōsecuti sumus, & ratione peccati originalis, in quo nascimur, multa circa ignorantiam consequimur.

RESP. AD ARG. ART. III.

Scire ne, an
operari vili-
lius.

AD PRIMVM dicendum, quod ad construendum multa requiruntur, ad destruendum vnum solum sufficit. & ideo scire modicum est vtile ad virtutem sine operatione, quia per solum scire virtus generari non potest; tñ scire requiritur ad virtutem, quia per scire innotescit nobis finis, secundum quem operando acquirimus virtutem. Sicut ergo sagittatoribus vtile est respicere signū, quia ex hoc multum iuuantur, ut bene sagittent ad ipsum: sic ad virtutes vtile est scire, quæ sunt opera virtutum, & quis finis intenditur in eis. quia licet hoc non sufficiat ad habendum virtutes: poterimus tamen per hoc multum iuari ad acquirendū eas. Si tamen quærat, quod est plus vtile ad acquirendum virtutes, vel operari, an scire: Dicemus, quod quæstio nullam habet difficultatem, cum operari includat scire, quia nullus operatur, quæ nescit, nisi fortè casu. Ad habendū ergo virtutem plus vtile est operari, sed ad peccandum sufficit vnum tantum: Propter quod sola ignorantia potest esse peccatum, quia cum peccatum dicat quid turpe, & quid defectuum, & ad turpitudinem, sufficiat vnus solus defectus, ut quod quis habeat nasum amputatum, vel os tortuosum: Ideo sufficit solus defectus in intellectu respectu horum, quæ tenemur scire, ad hoc, quod sit ibi peccatum, sed huiusmodi defectus est ignorantia: Ideo potest dici esse peccatum.

Peccatū oē
quō in uoluntate.

Ad secundum dicendum, quod omne peccatum est in voluntate tanquam in causa, non tanquam in subiecto: vel est in voluntate, quia quoddā cōplementum accipit a voluntate, & maxime, put peccatum est idem, quod culpa, est ergo ignorantia in intellectu tanquam in subiecto, sed non habet rōnem culpæ, nisi prout est volita, & per cōparationem ad voluntatem. quia si esset ignorantia inuincibilis, & nullo modo esset volita, nō haberet rationem peccati, prout hic de peccato loquimur, & prout est idem, quod culpa.

Ignorantia
an per pœ-
nitentiam
tollatur.

Ad tertium dicendum, quod si ipsa ignorantia nō deletur per pœnitentiam secundum se: deletur tñ, ut est volita, & ut habet rationem culpæ. Vel possumus dicere, quod voluntas non plenè pœnitet de ignorantia, nisi adhibeat diligentiam, quā pōt ad sciendum, & ad vitandam illam ignorantiam: propter quam dicitur cōmississe culpam. ergo pœnitentia etiam ipsam ignorantiam tollit, & si nō in se: tollit tamen eam in sua causa, ut de cetero volūtas adhibeat oēm diligētiā ad fugiendū eam.

A Ad quartum dicendum, quod ignorantia, vel nescientia, in qua nascimur, & si non est ipsum peccatum originale, potest esse pœna peccati originalis. Baptismus ergo delet peccatum originale quantum ad debitum habendi originalem iustitiam, sed non restituit nobis ipsam originalem iustitiam. nam solum per Baptismum absoluiamur a debito habendi ipsam. & quia carentia originalis iustitiæ potest dici quædam pœna originalis peccati: sicut non tollitur a nobis per Baptismū talis pœna, ut non sit: sed solum, ut non imputetur nobis ad culpam: sic nescientia, vel etiam ignorantia, non tolluntur a nobis per Baptismū, ut non sint, sed, ut non imputentur nobis ad culpam. Sed postquam venimus ad vsum rationis nisi apponamus sufficientem diligentiam ad sciendum, quæ sunt de necessitate salutis, tunc ignorantia imputabitur nobis ad culpam, quæ erit aliquo modo volita.

B Ad quintum dicendum, quod ignorantia pro tanto est peccatum, ut patet, quia est aliquo modo volita, sed non aliter volita, nisi, vel quia voluntas affectat eam, vel quia non dat sufficientē diligentiam, ut sciat, & ut fugiat eam. ergo ignorantia, vel erit peccatum commissionis, prout voluntas affectat eam, & ideo non erit tale peccatum, nisi quando affectat, & toties quoties voluntas eam affectat: vel erit ignorantia peccatum omissionis, prout voluntas non sufficienter sollicitatur, nec sufficienter dat operam, ut sciat. Erit ergo tale peccatum sicut peccat faciens contra præceptum affirmatiuum. Nam ratio naturalis dicat, quod debeamus sollicitari ad sciendum ea, quæ sunt de necessitate salutis, sed non obligat nisi pro loco, & tempore, & ideo ignorantia toties est peccatum, quoties non occurrerit tale tempus, & locus.

ARTIC. III.

An ignorantia possit esse causa peccati. Conclusio est affirmatiua.

D. Th. 1. 2. q. 76. ar. 1. Et de Malo q. 3. ar. 6. per totum.
Biel. d. 22. q. 2.



D TERTIVM sic procedit: vñ, quod ignorantia non possit esse causa peccati. Nam cum scientia possit habere rationem causæ, ignorantia, quæ est defectus sciētiæ poterit esse defectus causæ, non autem causa.

Præterea, quod de se non est ens, non videtur posse esse alicuius causa: sed ignorantia, cum sit priuatio, de se non est ens: Ergo non poterit esse alicuius causa.

Præterea omne peccatum secundum Augustinum, in tantum est peccatum, in quantum est volitū: sed oīs ignorātia causat inuolūtariū, ergo oīs igno-

Baptismus
quō tollit
peccatum.

ignorantia contrariatur peccato, & non erit causa peccati.

Præterea si ignorantia esset causa peccati: ergo quanto maior esset ignorantia, tanto magis esset causa peccati, sed hoc est falsum. quia tanta posset esse ignorantia, quod nullo modo esset causa peccati: ergo &c.

IN CONTRARIUM est Isidor. li. 2. c. 17. de sum. Bo. q. peccatum tripliciter committitur, ignorantia, infirmitate, & industria, quod non esset, nisi omnia hæc tria posset esse causa peccati.

1. Eth. ca. 1. Præterea Philosophus in 3. Eth. vult, quod aliquando quis peccat per ignorantiam, aliquando peccat ignorans. Sed cum quis peccat per ignorantiam, tunc ignorantia est causa peccati: ergo &c.

RESOLUTIO.

Ignorantia quandoque est causa peccati, sed inuincibilis in particulari, & facti, non in vniuersali, excusat, ut infra patebit.

Ignorantia
nescientia,
error, & in
fidelitas
quæ oppo-
nuntur scien-
tiæ.

RESPONDEO dicendum, q. ignorantia opponitur scientiæ, & simul cum ignorantia opponuntur nescientia, error & infidelitas, etiam ipsi scientiæ, semper cum secundum Philosophum unum uni opponatur, oportet, quod non eodem genere oppositionis, vel non eodem modo ista quatuor opponantur scientiæ. Nam nescientia est idem, quod non scientia, & ideo opponitur scientiæ contradictione, vel negatiue. Ignorantia vero, quæ est priuatio scientiæ, opponitur scientiæ priuatiue. Error autem opponitur scientiæ oppositione contraria, vel contrariè. Nam tunc est error, quando simul cum priuatione veri scientiæ, concurrat ibi assertio falsi, & ideo error propter illud falsum, quod contrariatur vero, opponitur scientiæ oppositione contraria. Infidelitas autem opponitur scientiæ veri secundum quandam specialem modum contrarietatis. Et sicut scientiæ opponuntur prædicta quatuor, sic et, & sanitati, & aliis rebus possumus assignare talia quatuor opposita, ut sanitati opponitur non sanitas, infirmitas, languedo, & febris, sed non latitas opponitur negatiue, infirmitas priuatiue, languedo contrariè: febris non contrariè quocumque modo, sed speciali modo contrarietatis. Nam qualitercumque quis patiatur, potest dici languens, sed non dicitur febricitans, nisi patiatur hoc modo passionis, scilicet per febrem. Possumus etiam in coloribus ista adaptare assignando quatuor, quæ opponuntur albo, sed ad præsens, quæ sunt dicta, sufficiant.

Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quod illa quatuor, quæ opponuntur scientiæ, semper vnum ad aliud se habet per quandam additionem, quia ignorantia addit super nescientiam: error supra ignorantiam: infidelitas supra errorem. Nam nescientia est omnium eorum, quæ quis nescit, siue sit aptus ille scire, siue non, siue teneatur illa scire, siue non. Ignorantia ergo addit supra nescientiam quandam aptitudinem natura-

lem, ut non dicatur ignorans respectu eorum, qui non est quis aptus, natus naturaliter scire. Nam licet respectu talium possit dici quis nesciens; non tamen propriè debet dici ignorans. & si accipiamur ignorantia, ut est culpa, non solum addit supra nescientiam aptitudinem quandam, sed etiam super huiusmodi aptitudinem addit quandam obligationem, ut tunc dicatur, quis habere ignorantiam, quæ est culpa, quando non solum ignorat ea, quæ est aptus scire, sed etiam, quando ignorat ea, quæ tenetur scire, & ad quæ obligatur, ut sciat, cuiusmodi sunt pertinentia ad salutem, & hoc modo volumus hic loqui de ignorantia.

Sed error addit supra ignorantiam, ut tunc dicitur quis errare quando non solum ignorat aliquid qua vera, sed asserit aliquam falsam contrariam veritati. Nam non eodem modo opponitur albo non albo, & priuatum albo, & coloratum alio colore, quam albo. nam albo, & priuatum albo non dicunt de se aliquem actum, vel aliquem colorem, & ideo non opponuntur albo contrariè, quia contraria semper sunt sub eodem genere, & utrumque contrariorum participat naturam generis. Ideo albo, & quidquid contrariatur albo, oportet, quod sit aliquis calor: id nigrum, & alij colores in quantum participant nigrum, possunt opponi albo contrariè. & scientiæ, cum sit quedam assertio veri: nescientia, & ignorantia non possunt ei opponi contrariè. sed error, qui est assertio falsi, opponitur scientiæ oppositione contraria. Vtrumque namque istorum tam scientia, quam error erit sub eodem genere, ut puta sub assertiones, sed scientia dicit assertionem veri: error assertionem falsi. Vtrumque ergo importabit aliquem actum, nec curetur utrum ille actus sit primus, vel secundus, quia scientia dicit actum primum: consideratio vero actum secundum. Propter quod assertio, quæ importat per scientiam, oportet, quod sit quedam assertio habitualis, & quod dicat actum primum, sicut habitus scientiæ dicit actum primum respectu considerationis, quæ generatur ex ea, sic & error, qui opponitur scientiæ potest dicere quedam assertionem habitualis falsi: Sicut scientia dicit quedam assertionem habitualis veri & sic error, tanquam assertio habitualis falsi contrariatur scientiæ, tanquam assertioni habituali veri. Si uero sumeret error pro actuali assertionem falsi, tunc non propriè opponeretur scientiæ, sed opponeretur considerationi generatæ ex scientia, quæ est actualis assertio veri.

Nescientia ergo, & ignorantia, quæ de se non dicunt actum, sed solum negationem, vel priuationem actus, non possunt opponi scientiæ oppositione contraria. sed error importans actum contrarium, opponitur scientiæ modo contrario. Infidelitas vero opponitur scientiæ secundum specialem modum contrarietatis, quia infidelitas non est quicumque error, sed est error circa pertinentia ad salutem, circa quæ errare, potest dici infidelitas, cum omnis sic errans non sufficienter credat Scripturæ sacre: ubi traditum sufficienter notitia de fide, & moribus, & de omnibus pertinentibus ad salutem. Ipsa ergo Scriptura sacra, ubi omnia Aegid. super ij. Sent. T ista

Ignorantia
ab errore
qd differat.

Actus duplex 2. de anima. c. 2 & 3.

Infidelitas
ab errore
quomodo
differat.

Luce 10.

Ignorantia
quid differat
a nescientia.

ista continentur, sunt duo testamenta figurata per duos denarios datos stabulario habenti curam de illo spoliato vulnerato, & seminiuo relicto. Nos illud, quod super erogabimus, exponendo dictam Scripturam sacram, recipiemus à Samaritano, idest, à Christo, & reddetur nobis pro tali sub erogatione mensura bona conferta, coagitata, & super affluens, & quia non credere Scripturæ sacræ est infidelitas: Ideo infidelitas super errorem addit, siue super assertionem falsi contrarietatem ad Scripturam sacram, ut sit infidelitas assertio falsi contrarij Scripturæ sacræ, Omnibus autem quatuor modis oppositionis scientiæ, quæ, largo modo loquendo de ignorantia, possunt dici quædam ignorantia, contingit peccare. quod quomodo sit, in sequenti vterius apparebit. Nunc autem scire sufficiat, quod ignorantia potest esse causa peccati.

Infidelitas
quid.

D V B. I. L A T E R A L I S.

An Ignorantia, & nescientia: Error, & infidelitas, sint causa peccati. Conclusio est affirmatiua.

Duo prima per accidens: Vltima vero per se.

Effectus cā
duplex.

Nescientia,
& ignorantia
dicuntur
cā peccati p
accidens.

Ignorantia,
& nescientia
quā causa
peccati.

VLTERIUS forte dubitaret aliquis, quomodo quodlibet illorum quatuor potest esse causa peccati. Dicendum quod causa alicuius potest esse dupliciter, vel per accidens, vel per se, ut causa illuminationis domus per accidens est aperiens fenestram, quæ remouet prohibens, quod non sinebat intrare lumen, sed ille, ut Sol, qui agit actum illuminationis, & causat lumen, potest dici causa illuminationis per se, sic dicemus de illis quatuor. Nam nescientia, & ignorantia possunt dici causa peccati per accidens, tanquam remouendo prohibens, quia remouet scientiam prohibentem actum peccandi, ut communiter ponitur. sed error, & infidelitas possunt esse causa peccati quasi per se, tanquam facientia ad actum, per quem fit actus, & qui est causa peccati.

Dicemus enim quod nescientia, & ignorantia possunt esse causa peccati per accidens, tanquam remouentia prohibens, idest, scientiam prohibentem peccatum; aliter tamen, & aliter. quia ignorantia potest esse talis causa simpliciter, sed nescientia non erit talis causa simpliciter: sed, vel erit talis causa, ut est idem, quod ignorantia, vel erit talis causa non simpliciter, sed in hoc, vel in illo. Ignorantia ergo simpliciter potest esse causa peccati, quia simpliciter est remotio scientiæ, ex qua potest prohiberi peccatum, quam remouendo homines peccant per ignorantiam, quia faciunt multa, quæ si scirent esse peccatum, non facerent. Loquimur autem de nescientia, & ignorantia, prout ignorantia est priuatio scientiæ eorum, quæ tenemur scire, ut supra diximus. Nescientiam vero appellamus hic negationem scientiæ quorumcūque, siue teneamur illa scire, siue nō. Propter quod patet, quod ignorantia potest esse

A causa peccati: etiam simpliciter loquendo, quia tollendo à nobis scientiam eorum, quæ tenemur scire, multoties committimus aliqua peccata per ignorantiam, quæ, ut diximus, si sciremus ea esse peccata, non faceremus. Sed nescientia non potest esse causa peccati sumpta sic simpliciter, sed potest esse causa peccati, prout est idem, quod ignorantia, de qua nunc loquimur. Nam si talis ignorantia potest esse causa peccati, nescientia, ut est idem cum ea, poterit esse etiam causa peccati, vel si nescientia potest etiam esse causa peccati etiam, ut differt ab ignorantia, prout de ea locuti sumus; hoc non erit simpliciter, sed poterit esse in hoc, vel in illo; vel hoc non erit simpliciter, ut respicit peccati actum, sed ut respicit personæ officium, quod sic declaratur: Nam cum ignorantia, ut hic loquimur, sit priuatio scientiæ eorum, quæ quis tenetur scire, erit nescientia, prout differt ab ignorantia, & concludit ignorantia negatio scientiæ eorum, quæ quis non tenetur scire simpliciter, sed contingit, quod aliqua non tenetur quis scire simpliciter, quod tamen tenetur ea scire ex officio sibi imposito, vel uoluntarie assumpto, ut Episcopus tenetur scire, quod spectat ad Episcopum. Archidiaconus ad Archidiaconum, & sic de aliis. Si ergo propter nescientiam talium, quæ potest dici nescientia, quia non tenetur ea scire simpliciter sed propter officium sibi impositum, contingeret, Episcopum malè facere, vel peccare, esset illa nescientia causa peccati non simpliciter, quia talia scire non sumus obligati simpliciter, sed esset talis causa in hoc, vel in illo, ratione officij sibi impositi, & quod dictum est de officio imposito: veritatem etiam habet de officio uoluntarie assumpto: non loquendo simpliciter de his, quæ tenemur scire pro salute animæ. nam non tenemur scire artem medicinæ: ideo nesciendo illā, poterit dici nescientia: Propter quod nescientia artis medicinæ non poterit esse causa peccati simpliciter, sed poterit esse causa peccati in hoc, vel in illo. Nam si quis vult sibi assumere officium medici, & vult discurrere per egros curando eos peccat, quia si vult hoc facere, cū dispēdio animæ suæ, & cū peccato hoc facit, nisi sit sufficiens instructus in arte medicinæ. erit ergo nescientia medicinæ causa peccati nō simpliciter, quia nō obligamur simpliciter ad sciendam medicinā, sed erit peccatum in hoc, vel in illo, qui volunt sibi assumere officium medici.

Nescientia ergo, & ignorantia possunt esse causa peccati, tanquam remouens prohibens, siue sit prohibens simpliciter, sicut ignorantia, quæ remouet scientiam eorum, quæ tenemur scire. quæ existente, fortè quis facit multa, in quibus fortè prohiberetur à scientia, siue sit hoc quantum ad officium in hoc, vel in illo, quia ut habet officiū, vel impositum, vel assumptum, ex quo officio obligatur ad sciendum aliqua, quæ si nesciat, potest per nescientiam peccare.

Quia ergo dictum est de nescientia, & ignorantia, quæ possunt esse causa peccati, velut remouens

Nescientia
distincta cō
tra ignoran
tiam quā cā
peccati.

Error, & in
fidelitas
quomodo
cā peccati.

prohi-

prohibens, quod est causa quasi per accidens: adaptare possumus ad errorem, & infidelitatem, quæ possunt esse causa peccati non solum per accidens, ut remoueret prohibens, sed quodammodo per se, velut causa inducens, & impellens.

Nam differt error à nescientia, & ignorantia, quia addidit super ea assertionem falsi. Nam ille dicitur errare, qui non solum caret scientia veri, sed assert falsum contrarium illi verò. Infidelitas verò, ut concluditur contra errorem, potest differre ab errore, sicut differt ignorantia à nescientia, quia ignorantia potest dici carentia scientiæ eorum, quæ tenemur scire: nescientia verò eorum, quæ non tenemur scire. Sic infidelitas potest dici assertio falsi in his, quæ pertinent ad salutem, vel in his, quæ determinantur per Scripturam sacram, ubi continentur omnia pertinentia ad salutem, siue sint pertinentia ad fidem, siue ad bonos mores. Error uerò potest dici assertio falsi etiam in quibuscunque aliis. Error ergo semper est peccatum. Nam nullo modo debemus asserere falsa pro ueris in quacunque materia, quia si intellectus est in nobis, cum interrogamur de aliqua materia, debemus, respondere: si autem, ut habetur in prouerbiis, debet esse digitus noster super os nostrum, & debemus tacere. Nam asserere falsa pro ueris non est natura hominis instituti, sed pœna damnati, ut vult August. 3. de lib. arbitrio. Nam cum hoc sit mendacium, non solum est pœna, sed etiam est culpa, licet non semper sit culpa mortalis. Error ergo, qui est credere falsum esse verum, in quacunque materia potest esse causa peccati, & per se, quia ex hoc possumus induci, & impelli ad asserendum falsa pro ueris. Sic & infidelitas etiam multo magis non solum est culpa, vel peccatum, sed etiam potest esse causa peccati per se. Infideles enim credentes adoranda esse idola, quod Scriptura sacra damnat, non solum peccabant hoc credendo, sed etiam ex illa credulitate inducebatur ulterius ad peccatum, & ad prosequendum Christianos.

RESP. AD ARG. Ad primum dicendum, quod nescientia, & ignorantia possunt dici defectus scientiæ, & etiam defectus causæ. Sed ex hoc non potest concludi, quin possint esse causa peccati, quia secundum Augustinum 11. de Ciuit. ca. 7. peccatum non habet causam efficientem, sed deficientem. Ex ipso ergo defectu potest causari peccatum.

Ad secundum dicendum, quod quamuis priuatio de se sit non ens, tamen quia est non ens in subiecto: ideo dicit aliquem defectum in subiecto. ignorantia ergo, & nescientia, cum dicant aliquem defectum in suo subiecto, poterunt in illo subiecto esse causa peccati semper, sicut causa deficientis.

Ad tertium dicendum, quod omne peccatum est voluntarium, & ignorantia, secundum quod huiusmodi, vel etiam nescientia, secundum quod huiusmodi, sunt causa inuoluntarij. Sed ex hoc non arguitur, quod non possint esse causa peccati, sed le-

undum quod huiusmodi semper aliquo modo alleuiant, & excusant peccatum. Quod utrum semper sit hoc simpliciter, vel non, in sequenti questione patebit.

Ad quartum dicendum, quod ille modus arguendi valet in causis per se, sed ignorantia, & nescientia possunt esse causa peccati per accidens. Sed si volumus loqui de errore, & infidelitate, quæ possunt esse causa peccati per se, admittemus illum modum arguendi, quod quanto maior est error, & infidelitas, tanto magis possunt esse peccatum, & causa peccati.

ARTIC. IIII.

An ignorantia excuset peccatum. Conclusio est affirmatiua.

D. Th. 1. 2. q. 76. art. 3. & 4. Et 2. sent. d. 22. q. 2. ar. 2. Et 4. d. 9. art. 3. q. 2. Et de Malo q. 3. art. 8. D. Bon. d. 22. art. 2. q. 3. Ric. d. 22. q. 7. Biel. d. 22. q. 1. Bur. d. 22. q. 4.



QUARTVM sic proceditur: Videtur, quod ignorantia non excuset, nec alleuiet peccatum, quia ut dicit Gl. ad Rom. 2. grauissimè peccat, si ignorat. Ignorantia facit peccatum esse grauissimum: ergo nec excusat, nec alleuiat peccatum.

Rom. 2.

Præterea peccatum additum peccato auget peccatum, non minuit, sicut malum additum malo auget malum, non minuit. Sed cum ignorantia sit peccatum, si comparatur ad aliud peccatum, erit ibi duplex peccatum. Non ergo minuitur peccatum, sed augetur.

Præterea secundum philosophum: Ebrii duplici maledictione digni sunt. Sed constat, quod ebrii, si peccant, hoc est per ignorantiam: ergo ignorantia illa non minuit peccatum, sed duplicat.

Ebrii duplici maledictione digni. ca. vi. 2. rol. in calce, & 1. Eth. c. 5.

Præterea illud, quod consequitur omne peccatum, non vñ nec aggravare, nec alleuiare peccatum: sed ignorantia consequitur omne peccatum, quia ut scribitur 3. Ethicorū: Omnis malus ignorans: ergo &c.

3. Eth. 1.

Præterea Beda vult, quod quatuor sunt pœnalitates, & quas consequimur pro peccato primi hominis. Ignorantia, infirmitas, concupiscentia, & malitia. Sed concupiscentia, & malitia vñ aggravare peccatum: ergo ignorantia, & infirmitas aggravat et ipsū.

Peccati originis pœnæ quatuor.

IN CONTRARIVM est Apostolus ad Timotheū dicens: Misericordiam consecutus sum, quoniam ignorans feci, quod non est, nisi ignorantia excusaret, vel alleuiaret peccatum.

1. Tim. 1.

Præterea scia aggravat peccatum, quia peccare sciens est grauius peccare, ergo ignorantia alleuiat peccatum, & peccare ignoranter est leuius peccare.

RESOLVTIO.

Ignorantia in particulari, siue facti, ut aiunt Iurista, excusat, cum sit inuincibilis. Ignorantia vero iuris, siue in vniuersali de ijs, quæ pertinent ad salutem, cum inuincibilis non sit, peccatum non excusat.

Aegid. super ij. Sent. T 2 RE-

Tomo 1.

Peccati causa qualis.

Negatio co-
gnoscitur p
affirmatio-
ne, & priua-
tio per posi-
tionem.

Iob 21.
Ignorantia
affectata, &
crassa excu-
sat, & aggra-
uat.

Ignorantia
inuincibilis
excusat quā-
doq; à toto
peccato.

RESPONDEO dicendum, quod ignorantia opponit scientiæ. Cū ergo omnia importantia negatione habeant declarari, & elucidari per importantia affirmationem, quia secundum Philosophū in elench. Semper in nō facere intelligitur facere, & omnino in negatione dictio. i. affirmatio. Non enim possumus scire, quid est non facere, nisi per facere, quod negat; nec possumus intelligere, quid est negatio, nisi per dictionem, vel per affirmationem, quam negat semper, idest, negatio cognoscitur per affirmationem, & priuatio per positionem. Cum ergo ignorantia opponatur scientiæ priuatiue, & scientia opponatur ignorantia positione, quia illud, quod priuat ignorantia, ponit scientia, ideo uidendum est, ad quā, & ad quod potest comparari scientia. Videtur autem scientia per se comparari ad tria. Ad subiectum, in quo est, quia est in sciente. Ad obiectum, in quod tendit, quia tendit in scibile. Et ad actum, quem causat, cuiusmodi est considerare, quod causatur ex scientia. Sic & ignorantia, tanquam in subiecto habet esse in ignorante, suum obiectum est ipsum ignorabile, vel ipsa res ignorata: suus actus, cum ipsa sit priuatio, non erit posituius, sed negatiuus, uel priuatiuus: Erit enim eius non consideratio, vel, ut Magister loquitur, actus eius est inconsideratio. Hoc est enim agere per ignorantiam: agere inconsiderate, & per imprudentiam. A quolibet enim istorum, ut a subiecto, obiecto, & actu potest ignorantia aliquid sortiri. A subiecto enim sortitur, ut dicatur affectata, neglecta, vel inuincibilis. Nam subiectum, in quo est ignorantia, est ipse homo ignorans: sed, ut supra dicebatur, aliquando homini placet ignorantia, & non vult intelligere, ut bene agat, & dicit Deo: Recede à me: scientiam uisum tuarum nolo. & tunc est ignorantia affectata, talis autem ignorantia, & si excuset peccatum, ut ignorantia: tamen aggrauat, ut affectata: & peccatum, quod committitur per talem ignorantiam, magis aggrauat, quam excuset.

Si uero ignorantia sit commissa per negligentiam, ut ignorantia non placeat, & non sit affectata, sed quia tēdet aliquid laborare, & adhibere debitam diligentiam, ut sciat: Libenter tamen sciret, si posset sine labore scientiam habere: Talis ignorantia ex una parte excusat, ut est ignorantia, ex alia parte aggrauat, ut est neglecta, & per negligentiam continuata. Hæc autem ignorantia potest aliquando plus aggrauare, quam excusare: aliquando econuerso, quia potest ibi esse tanta negligentia, quod ignorantia, sic neglecta, plus aggrauet, quam excuset. Aliquando enim negligentia potest esse tam modica, quod si contingat ex illa aliquid male agere: poterit actus ille ex hoc plus excusari, quam aggruari.

Tertio potest ex parte subiecti ignorantiam hanc sortiri, ut non dicatur, nec affectata, nec neglecta: sed si dicatur inuincibilis, ut quando quis facit totum, quod in se est, & adhibet totam diligentiam, quam potest adhibere, si hoc modo contingat ipsum male agere, per ignorantiam: excu-

abitur per ignorantiam illam non solum à tanto, sed etiam à toto: ut si mulier dormiret, cum alio viro credens esse virum suum, si ad hoc adhibuit omnem diligentiam, quam debuit, & à tanto, & à toto posset excusari ab illo actu per ignorantiam.

Postquam assignauimus conditiones, quas potest consequi ignorantia ex subiecto, volumus assignare conditiones, quas potest consequi ex obiecto. Sed cum obiectum ignorantia sit res ignorata, & res possit esse ignorata dupliciter: in uniuersali, & in particulari, secundum hunc duplicem modum poterit ignorans comparari ad rem ignoratam. quia ignorans ignorat in uniuersali, quia non credit fornicationem esse peccatum, vel ignorat in particulari, quia habendo rem cū non sua credendo illam esse suam committit fornicationem ignoranter, quæ ignorantia nō est in uniuersali, quia scit fornicationem esse fugiendam, sed in particulari, quia ignorat hanc particularem mulierem esse non suam, credens ipsam esse suam. Has autem duas ignorantias Philosophus nominat, sicut nos nominamus, videlicet ignorantiam in uniuersali, & in particulari asserens, quod potest esse ignorantia in particulari, simul cum scientia: in uniuersali possumus scire omnem fornicationem esse fugiendam, & credere hanc fornicationem esse faciendam, ut si quis credit eam non esse fornicationem, quia credit agere cum sua, & agit cum aliena: sic etiam possumus scire omnem mulam esse sterilem, & credere hanc hñe factū in ventre, ut puta si mula hñt grossum ventrem ex alia causa, quam ex prægnatione, potest quis credere eam esse prægnantem, quia non iudicaret hanc particularem mulam in hoc uniuersali, quia omnis mula est sterilis, sed in hoc, quod habens grossum ventrem, est prægnans. Iuristæ uero has duas ignorantias vocant aliis nominibus, quia ignorantiam in uniuersali uocant ignorantiam iuris: in particulari uero vocant ignorantiam facti,

Si ergo queratur de istis duabus ignorantia, quomodo se habeant ad excusationem peccati. Dicemus, quod istos duos modos ignorantia, quos contrahit, uel potest contrahere ignorantia ex obiecto: debemus reducere, vel comparare ad illos modos, quos potest contrahere ex subiecto. Nam uel isti modi ignorantia sunt affectati, uel neglecti, uel inuincibiles: si sunt affectati, uel neglecti, sic non excusabunt, sed aggrauabunt peccatum, sicut aggrauat ignorantia affectata, & neglecta. Vtroque ergo modo, & in uniuersali, & in particulari potest quis affectare, quod sit ignorans, vel negligere, & non apponere debitam diligentiam, ne sit ignorans, quod ex tristitia, vel letitia post actum poterit hoc aduertire. Nam si quis ignorat in uniuersali fornicationem esse fugiendam, & contingat eum fornicari, & postea dicatur sibi, fornicationem esse peccatum, & non esse faciendam, si ipse gaudeat se ignorasse, quia eo modo liberius fruebatur sua

Ignorantia
duplex in
uniuersali,
& in parti-
culari.

Ignorantia
iuris, & facti

Ignorantia in
iuris, & facti,
an excuset,
vel aggrauet

sua fornicatione: videtur esse ignorantia affectata, sic etiam, & in particulari habendo non suam, credēs esse suā, si postea dicat ei, illā nō fuisse suā; si de hoc gaudeat, vñ illa ignorantia esse affectata.

Et quod dictum est de ignorantia affectata: veritatem habet de neglecta, quia in vniuersali, & in particulari homo debet tollere negligentiam, & apponere sufficientem diligentiam, ne peccet per ignorantiam qualitercunq; vel in vniuersali, vel in particulari, q̄ si committatur ibi negligentia aggrauabit, & excusabit peccatum: prout potest patere ex habitis, quod ignorantia neglecta aggruat, & excusat.

Sed si loquamur de ignorantia inuincibilis? Dicemus, q̄ non videmus sufficientem causam, quare ignorantia in vniuersali, vel ignorantia iuris circa ea, quæ debemus scire q̄tum ad pertinentia ad salutem, debeat inuincibilis dici, cum quilibet teneatur scire pertinentia ad salutem suam, & cum ista non sit tanta scientia, quin eundo ad ecclesiā, & audiendo predicationes, adiūuante lumine rationis, non possit quicumque rusticus percipere, quod sibi expedit ad salutem, quod si negligat ire ad ecclesiā, & audire predicationes, & omittat loqui de salute sua, cum doctis, & peritis, ne possit decipi ab hæreticis: non dicat illam ignorantiam esse inuincibilem, sed dicat eam esse neglectam, quia negligendo, & diligentiam non adhibendo, non acquisiuit scientiam, per quam posset illam ignorantiam subterfugere. Sic ergo dicendum est de ignorantia in vniuersali, & maxime quantum ad pertinentia ad salutem.

Sed de ignorantia in particulari, quam Iuristæ vocant ignorantiam facti, illa potest esse omnino inuincibilis, vtputa si quis est in bello, & pater suus gerat habitum hostis, quia satis in tali periculo adhibetur diligentia, si non credat patrem ibi esse, & videat eum portare habitum hostis: posset sufficienter excusari, quod non plus imparetur sibi, ac si interficeret hostem. His ergo sic se habentibus, non posset accusari de patricidio, cum fortē posset accusari de homicidio. quia si bellantes non habent iustam causam bellandi nō debent bellare, nec debent associare bellantes in tali bello. Nam secundum Augustinum iniustitia alterius partis facit nos habere iustum bellum. Iō si non habentes iustam causam bellant, & in bellando committatur homicidium, poterunt bellantes de homicidio inculari.

Postquam ergo declarauimus cōditiones quas consequitur ignorantia ex subiecto, & quas consequitur ex obiecto, & comparauimus has ad illas, & ostendimus quomodo aggrauant, & excusant peccatum: videtur, quod reliquum sit considerare de conditionibus, quas contrahit ignorantia ex suo actu. Sed declaratis cōditionibus, quas contrahit ignorantia ex subiecto, & obiecto, & ostenso, quid dicendum sit de ignorantia, prout comparatur ad subiectum, & obiectum: satis ostēsum videtur, quid dicendum sit de ea, prout comparatur ad actum. Nam actus ille malus, qui committitur ex actu ignorantie, est in consideratio,

A vel improvidentia, quia ignorantes inconsideratē, & in provide faciunt facta sua, & ideo peccant: Ergo talis consideratio de ignorantia, quantum ad suum actum est consideratio de ipso peccato, quod committitur ex ignorantia, vel ex actu ignorantie, ut quia ignoranter & inconsideratē peccamus. sed qualiter ignorantia ad talem actum, & ad tale peccatum se habeat secundum aggrauationem, & excusationem, sufficienter declaratum est ex conditionibus, quas habet ignorantia ex subiecto ut puta si est affectata, neglecta, vel inuincibilis, & ex conditionibus, quas habet ex obiecto, vt puta si esset ignorantia in vniuersali, & quātū ad ea, quæ sunt iuris: vel in particulari, quantum ad ea, quæ sunt facti. & quia omnia ista sunt iam declarata, ideo quaestio proposita est sufficienter soluta.

B **RESP. AD ARG.** Ad primum dicendum, quod ibi grauissimē exponendum est. i. periculosissimē, quia peccans per ignorantiam est in maximo periculo, quandiu durat ignorantia illa, quia non querit medicinam morbi. Vel possumus dicere, quod ibi Gl. non loquitur de grauitate quacunq; sed de grauitate peccati ex ignorantia beneficiorum Dei, quod est peccatum grauissimum, peccare in non recognoscendo beneficia Dei, quia est ingratitudo maxima, cum quis non recognoscit beneficia maxima, quæ nobis fecit, & quotidie facit Deus.

Ad secundum dicendum, q̄ peccatum additū peccato auget peccatum extensiuē, quia sunt ibi plura genera peccatorū. sed non oportet, q̄ augeat intensiuē. sicut nec calidū additū calido non augmentat calorem intensiuē, ut aqua tepida potest dici calida, quæ addita aquæ bullienti augmētatur calorem extensiuē, quia plus est ibi de aqua calida, quā ante, sed non augmentat intensiuē: immo est ibi remissio caloris, quia non est ibi intensior calor, q̄ erat prius. sic & in proposito ignorantia potest esse peccatum, & ex ignorantia potest causari peccatum, & erunt ibi extensiuē plura peccata, sed peccatum causatum ex ignorantia nō erit ex hoc intensius peccatum, sed potius remissius, nec quantum ad hoc erit grauius, sed potius leuius, sicut ex aqua tepida iuncta aquæ bullienti nō intenditur calor, sed remittitur: sed remittitur secundum, quod huiusmodi sp̄ reddit voluntatē quasi tepidam, ut ex hoc dicatur peccatum esse quasi inuoluntarium: semper de se videtur alieuiare peccatum, licet ex alia parte, ut ostensum est. vt si sit affectata aliquando plus aggrauet, quā alieuiet.

Et per hoc patet solutio ad tertium. q̄ ebrii duplici maledictione digni sunt, quia peccāt inebriando se & peccant quantum ad peccatū, quod committunt ex ebrietate. sunt ergo ibi plura peccata extensiuē, sed non oportet, q̄ peccatū, quod committit p̄ ebrietatē, sit intensius, & grauius: cū sp̄ ignorantia, q̄tum est de se, excuset & alieuiet peccatū: non tamē peccans ex ebrietate excusatur à toto. quia non fuit ibi ignorantia inuincibilis, quia si fuit inuincibilis de se, cum ebrii nesciant, Aegid. super ij. Sent. **T** 3 quid

Ignorantia iuris, vel in vniuersali pertinentiū ad salutem, nunq̄ potest ei inuincibilis.

Ignorantia facti siue in particulari potest esse inuincibilis

Bellum iniustum non excusat homicidium.

Peccans per ignorantiam, quō grauissimē peccet

Peccatum ignorantia beneficiorū Dei grauissimum.

pb. ii quō duplici maledictione digni s. Pol. c. ultimo in calce. & 3. Eth c. 5.

quid faciunt: non tamen fuit inuincibilis quātū ad causā, quia ante ebrietatē ebrius poterat sibi cauere à superfluo vino & non inebriari. Poterat enim se moderare vino bibendo modicum, vel poterat sibi temperare vino, bibendo ipsum aquatum.

Peccans
ignorans &
ex ignorantia
quid ex
Arist. 3. Eth.
c. 1.

Ad quartum dicendum, quod aliud est peccare per ignorantiam: Aliud est peccare ignorans. Omnis. n. malus est ignorans, & quicumque peccat sp. peccat ignorans sed nō loquimur hoc mō de ignorantia, vt est concomitans peccatū, sed solū, vt est causa peccati, & vt precedit peccatum, & vt causa precedit effectum, secundum quem modū semper quantum est de se ignorantia alleuiat peccatum: prout potest esse per habita manifestum.

Ignorantia,
& infirmitas
quare excusant.

Ad quintum dicendum, quod ignorantia & infirmitas excusant peccatū, quia semper habet aliqd de inuoluntario, vt si quis sciēs nō faceret aliquem actū, quem ignorans facit: sic si quis nō passionaretur à carne, forte non peccaret, sed ex nimia passione aliquando trahitur voluntas, vt consentiat peccato. Ideo tam ignorans, quā infirmitas videntur causare aliquo modo inuoluntarium, & ex hoc excusare peccatum. Sed malitia, & concupiscentia, quia videntur augmentare voluntariū, ex hoc dicuntur augmentare peccatum.

Concupiscentia
dupl. sumitur.

Aduertendum tamen, quod ibi videtur accipienda esse concupiscentia, pro quodā impetu voluntatis; non autem pro impetu sensualitatis, vel pro impulsione carnis. Quia sic idem esset peccare, ex concupiscentia, & peccare ex infirmitate carnis.

Ignorantia,
infirmitas,
concupiscentia,
& malitia,
quo causatur
peccati.

Dicemus ergo quod illa quatuor, quae tangit Beda, potest vnum referri ad intellectum, vt peccare ex ignorantia. Aliud ad carnem, vt peccare ex infirmitate, in quo communicamus cum bestiis. Quia ita passionantur bestiae ex sua carne, vel ex sua sensualitate, sicut & nos. quia sensualitas in eis non est rationalis per essentiam, nec per participationem: Ideo quod faciunt bestiae: non imputatur eis ad peccatum. sed quia nostra sensualitas est rationalis per participationem, & ideo imputatur nobis ad peccatū, quod ex sensualitate facimus. quia poteramus per rationem illam sensualitatem domare, & vincere. Alia vero duo, vt peccare ex malitia, & ex concupiscentia, possunt specia liter referri ad voluntatem, vt tunc dicamur peccare ex malitia, quando peccamus ex electione, quae est actus voluntatis. Dicimur ergo peccare ex concupiscentia, quando peccamus ex concupiscentia oculorum, vt appetendo nummismata, & quae possunt nummismate meturari. quod potest ad voluntatem referri, cum hoc non conueniat bestiis.

Sensualitas
i bestiis
cur excuset,
non in
hominibus.

Dubitatio I. Litteralis.



PER litteram dubitatur primo de illo verbo, dicto de muliere, quod voluit habere similitudinem Dei, cum quadam aequalitate.

Sed contra: Quod nō potest cogitari, nō potest

A- appeti. sed aequalitas Dei non potest cogitari: ergo nec appeti. Dicendum, quod aequalitas Dei non potest cogitari simpliciter, potest autem cogitari secundum aliquid. Nec hoc potuit cadere in appetitu mulieris quod appeteret simpliciter esse aequalis Deo, cum sciret se creatam ab eo. Potuit tamen aliquid appetere habere per naturā, quod soli Deo competit habere illo modo. Non ergo quantum ad rem habitam, sed quantum ad modum habendi potuit appetere aliquam aequalitatem Dei.

Dei aequalitas
quā potuit
appetere.

Dubitatio II. Litteralis.

Vtius fortē dubitaret aliquis de illo verbo, quod habetur in littera, quod Adam in eo fuisse seductum, credi potest, quod commissum veniale putauerit, quod peremptorium erat. Sed violare mandatum superioris, & facere contra obedientiam superioris. non potest esse, quin sit peccatū mortale, & peremptorium: ergo & c.

B Dicendum secundum quosdam, quod duplex est veniale. videlicet ex genere, & istud diuiditur contra mortale. Et est veniale ex circumstantia, vel ex aliqua conditione, vel causa, & sic peccatum habens ex se aliquam excusationem, licet de se sit mortale, potest dici veniale. Cum ergo simpliciter committatur peccatum ex ignorantia, infirmitate, & ex certa malitia: peccans ex ignorantia, & ex infirmitate dicitur committere peccatum veniale: non quin talia peccata possint esse mortalia, sed ratione excusationis, quam potest habere sic peccans, possunt dici talia peccata venialia, peccatum autem commissum ex malitia nulla videtur habere excusationem, propter quod non potest dici veniale. Sic ergo potuit decipi Adam credens illud peccatum esse veniale hoc modo, sed sic credendo videtur non fuisse deceptus, quia videtur esse differentia inter peccatum hominis, & Daemonis, quia Daemon de peccato suo non uidebatur habere aliquam excusationem, sed homo, quia tentatus ab alio, peccauit, excusationem habere poterat. Si ergo hoc modo acciperetur veniale: in nullo fuisset deceptus.

Peccatū
veniale
duplex.

C Fraterrea quod sine additamento dicitur, simpliciter dicitur. Sed Aug. 16 de Ci. absolute pferit ista uerba, quod Adam potuit credere esse veniale, quod erat mortale. Ex quo ergo poterat decipi Adam, non est inconueniens hoc ponere, quia & in nobis multoties accidit, quod credimus veniale quod est mortale.

Tomo 3. ca. 11.

Dubitatio III. Litteralis.

Vtius fortē dubitaret aliquis, quia uidetur velle Magister in littera quod Adam potuit decipi. Sed contra: Quia ut habetur in sequenti dist. primi parentes pro illo statu innocentiae decipi non poterant: Dicendū quod primū peccatū primorū parentum oportebat, quod ei set elatio & ei set quidam inordinatus amor propriae excellentiae: & an-

Adam in
statu
innocentiae
deci-
pi poterat.

requam

tequàm sic peccarent, coadiuuante originali iustitia, non poterant decipi, vt in sequenti patebit dist. Sed commissio peccato elationis, & ex hoc amissa originali iustitia, potuerunt ex tunc decipi tam mulier, quàm vir: licet magis fuerit decepta mulier, quàm vir. Et ex hoc potest patere plenior solutio ad quæstionem præpositam, quod ex quo poterat Adam decipi post primum peccatum, quod fuit elationis, potuit credere esse veniale, quod erat mortale.

Dubitatio III. Litteralis.

Vterius fortè dubitaret aliquis de eo, quod haberetur in littera de muliere, quod nimia præsumptione elata credidit ita fuisse futurum, ergo si mulier præsumendo ita fuisse futurum, quod esset sicut Deus: ex hoc præsumpsit, & elata fuit: videtur, quod antequàm peccaret præsumpsit esse verum, quod erat falsum, & sic fuit decepta antequàm peccaret. Dicendum quod illa præsumptio referenda est ad esum ligni non ad elationem: Fuit ergo talis ordo in peccato Eux, quia primo peccauit per elationem, postea credidit verbis Diaboli, qd si comederet de ligno, esse sicut Deus, postea comedit de ligno. Elatio ergo præcessit deceptionem: sed deceptio præcessit esum ligni.

Dubitatio IIII. Litteralis.

Vterius fortè dubitaret aliquis de eo, quod dicitur in littera, quod Adam arbitratus est illud delictum esse veniale, non mortale, quomodo hoc sit intelligendum. Dicendum, quod cum duplex sit mors, animæ scilicet & corporis, & in primis parçibus ex morte animæ id est ex peccato mortali secuta est mors corporis, id est necessitas moriendi. Ante ergo quàm peccarent primi parentes, non poterant decipi, quia Deus hoc non permisisset: Sed commissio primo peccato, quod fuit elatio, ex tunc in pœnam illius peccati permisit Deus, quod deciperentur. Vtroque ergo modo potuit Adam decipi, & quantum ad mortem animæ: vt crederet esse peccatum veniale, quod erat mortale. Et quantum ad mortem corporis, vt edendo de illo ligno, consequeretur veniam, & indulgentiam, vt ex hoc non contraheret necessitatem moriendi. Videtur enim, quod vnum istorum sequatur ad aliud. Nam si non fuisset anima mortua, non fuisset mortuum corpus. Et si illud peccatum Adæ fuisset veniale, non abstulisset originalem iustitiam, qua non ablata, corpus non poterat nec infirmari, nec mori. Ideo si Adam credidit, quantum ad animam, esse veniale peccatum, quod erat mortale; potuit credere quantum ad corpus, quod consequeretur veniam, & non contraheret necessitatem moriendi. Primo ergo præcessit elatio ante, quàm ipse crederet: sed post illam elationem potuit vtrumque credere. Ponunt autem scripta communia alias dubitationes litterales, sed ex quæstionibus iam disputatis, omnes illæ obiectiones sunt solutæ.

De Dei permissione in actum tentandi: deq; cognitione primorum Parentum.



RRAETEREA queri solet] Postquam Magister determinauit de tentatione, & de peccato primorum Parentum quantum ad Diabolum tentantem, & ad peccandum impellentem, & quantum ad ipsos Pa-

rentes tentatos, & ad peccandum impulsos: In hac xxij. dist. determinat de huiusmodi peccato, & tentione: quantum ad Deum hoc permittentem. Et duo facit, quia primo determinat hoc modo de primorum Parentum peccato, & tentatione, Secundo determinat de eorum cognitione, ibi: [Et quidē secundū animā] Circa primum quinquē facit, secundū, qd quinq; dubia mouet p cōparationem ad Deum de tentatione, & de peccato primorum Parentum. Nam primo quærit quare Deus permisit hominem tentari, cum sciret ipsum decipiendum esse, & peccaturū. Et soluit, qd hoc erat magis laudabile homini: Si non crederet suadenti sibi malum, quia gloriosius est non consentire tentanti, quàm non tentari. Secundo quærit quare Deus creauit eos, cum præsciret eos malos fuisse futuros. Et soluit, quod Deus scit ex malis bona elicere. Tertio quærit, quare Deus non fecit hominem talem qd peccare omnino nollit, vel quod idem est, qd peccare non posset. Et soluit, quod melior est natura, quæ peccare non vult: Sed non est mala natura illa, quæ peccare potest, si vult. Quarto quærit, cum omnes essent boni, si Deus vellet: quare non omnes boni sunt? Et respondet, quod Deus fecit homines, vt tales essent, quales vellent, vt si essent boni, non infructuosē, & si mali non impunē. Quinto quærit, cum Deus possit mutare voluntatem malorum: quare non mutat. Et soluit, qd non est nostrum scrutari secreta Dei, nec debemus velle plus sapere, quàm oportet. Secūda ibi: [Mouetur et. a.] Tertia ibi: [Addunt etiam.] Quarta ibi: Item inquirunt si Deus. Quinta ibi: [Item, inquirunt, posset.] Tunc sequitur illa pars: [Et quidē secundū.] in qua agit de cognitione primi hominis. Circa quā v. facit, quia primo agit, quā cognitionē habuit primus homo a sui formatione. Secūdo ait qd triplici cognitione præditus homo, videlicet creaturæ, Dei, & sui. Et declarat quomodo habuit cognitionē creaturarū. Tertio declarat, quomodo habuit cognitionem Dei. Quarto quomodo cognitionē sui. Quinto quærit, si habuit cognitionem

Tentari hominem cur Deus permisit.

Deus cur hominem creauit, quæ sciebat malū futurū: & cur non fecit ipsum impacciabilem.

* Volūtas malorū cur à Deo non mutatur.

tionem sui casus, & ait q̄ non . quia nec homo , nec Diabolus suū casū præsauerūt. Secunda ibi: [Fuit itaque.] Tertia ibi: [Cognitionem quoque.] Quarta ibi: [Porro.] Quinta ibi: [si aut̄ queritur.] & in hoc terminatur sententia Lēctionis, & Distinctionis.

Q V A E S T. I.

De primorum Parentum tentatione
ad Deum relata.

QU A Magister in præsenti distinctione de duobus agit uidelicet de peccato primorū Parentū per respectū ad Deum, & per cognitionem ipsorū, ideo de his duobus quæremus. Circa primum quærentur duo. Primo utrum Deus potuerit facere creaturam intellectualem, vel rationalem, quæ ex conditione suæ naturæ peccare nō posset. Secundo utrum Deus debuerit permittere hominem tentari, & peccare.

A R T I C. I.

An Deus facere potuerit creaturam rationalem, uel intellectualem impeccabilem. Conclusio est negativa.

D. Th. 1. p. q. 6. art. 1. Et q. 63. ar. 1. Et 2. Sent. d. 23. q. 1. art. 1. Et de Ver. q. 24. ar. 7. D. Bon. d. 13. art. 1. q. 1. Ric. d. 13. q. 1. Sco. d. 23. q. 1. Holcoth 2. Sent. q. 2. art. 5. Biel d. 23. q. 1. Th. Arg. d. 23. q. 1. art. 4. Ant. Andr. d. 23. q. 1. Dur. d. 23. q. 1. Bacc. d. 23. q. 1. Capreol. d. 23. q. 1.

Creatura
ex Dei gra-
tia potest
esse impec-
cabilis.



AD primum sic proceditur: videtur, q̄ Deus potuerit facere aliquam spiritualem creaturā, quæ peccare non posset. Nam cum possit cōferri creaturæ, q̄ non possit peccare per gratiā, cum illa gratia sit aliqua perfectio, & aliqua forma ipsius naturæ, non videtur implicare cōtradictionem, quod esset eius forma, & perfectio naturalis, quo posito, creatura illa relicta suis naturalibus, peccare non posset.

Peccatum
omne est ir-
regularitas.

Præterea omne peccatum est quædam irregularitas: quia non est peccatum, nisi quia deficit a regula rationis, vel a lege diuina, quæ debet esse regula nostrorum actū: sed videmus aliquas creaturas corporales: quæ naturaliter in suis motibus seruant omnimodam regulam, & mouentur semper vniformiter, & regulariter: si ergo hoc potuit conferri naturæ corporali, multo magis videtur, q̄ potuit conferri libero arbitrio, quod semper etiam naturaliter moueretur; &

A regulariter, quo facto nō posset ibi esse peccatū. Præterea in littera dicitur, q̄ sancti Angeli peccare non possunt: homines autē peccare possunt. Si autem hæc esset differentia inter homines, & Angelos, q̄ Angeli peccare non possunt, sed homines videtur consequens esse, q̄ Angeli hoc habeant per naturam, q̄ peccare nō possunt. Quia si dicat hoc eos habere ex gratia: tunc nō different in hoc ab hominibus, cum homines possint habere ex gratia.

Præterea Dam. videtur velle, q̄ quia creatura est ex nihilo, duplex varietas sequitur eam. Vna quantum ad esse, & ex hoc creaturæ corrūpi possunt, & alia quantum ad electionem, & ex hoc creaturæ peccare possunt. Cum ergo quantum ad esse aliquæ creaturæ naturaliter sint incorruptibiles quantum ad electionem, aliquæ creaturæ esse possunt naturaliter impeccabiles.

B I N C O N T R A R I V M est. Quia hoc requirit perfectio vniuersi, q̄ omnes bonitates possibiles communicari creaturæ sint ex eis cōmunicatæ, saltem quantum ad suū genus: sed nulli creaturæ in quocunque genere est hoc cōmunicatū, q̄ peccare non possit naturaliter, ergo nō potest hoc ei communicari.

Præterea posse peccare cōpetit creaturæ: quia est ex nihilo. Si ergo alicui creaturæ posset naturaliter cōmunicari non posse peccare. Illa creatura non esset ex nihilo: quod est impossibile.

R E S O L V T I O.

C N A T U R A rationali, uel intellectuali impeccabilitas communicari naturaliter non potest: ratione similitudinis, moralium ad naturalia: ex finis incomprehensibilitate: & ex ipsa Creaturæ defectibilitate.

R E S P O N D E O dicendum q̄ triplici via inuestigari potest, quare creaturæ rationali, vel intellectuali communicari non potest naturaliter, q̄ peccare non possit. Ut sic prima via ex similitudine, quam habent moralia ad naturalia. Nam nihil est in moralibus, quod non possit per aliquam similitudinē declarari ex his, quæ videmus in naturalibus. Secunda uia potest sumi ex incomprehensibilitate finis, qui intenditur in moralibus. Tertia ex defectibilitate creaturæ rōnalis.

Creatura ra-
tionali cō-
municari
non potest,
naturaliter
non posse
peccare.

D P R I M A via sic patet. debemus enim sic imaginari, q̄ sic se habet peccatum in moralibus, & in his, quæ respiciūt volūtātē, & liberū arbitriū, sicut se habet corruptio ī naturalibus, & in his, quæ respiciunt materiam, & naturam. Nā nunquā est aliquid incorruptibile naturaliter, nisi sit satiatus totus appetitus naturaliter, & ideo * cœlū, quod est incorruptibile naturaliter: potest dici plenū forma quia forma ibi: cum non habeat cōtrariū, nec priuationē annexam, ita satiat & replet totū appetitum materiæ: ut non amplius appetat vltiorem formam. Si ergo posset esse aliqua creatura impeccabilis naturaliter, oporteret, q̄ creatura illa posset esse beata: naturaliter posset eius appetitus

Peccatum
in morali-
bus est sicut
corruptio
in naturali-
bus.

* Cœlū cur
incorrupti-
bile.

Joan. Bapti
sta, & Apo
stoli spiritu
sancto ple
ni potuerunt
peccare uen
ialiter tan
tum, ut Pe
trus, qui di
cebat Coe
phas, repre
hensus fuit
a Paulo, re
ste D. P. Au
gustino Epi
sco. ad Hier.
Tomo 2. Et
de menda
cio caput. 5.
Tomo 3. Hic
romanus ue
ro ait ex co
dicto Petru
a Paulo re
prehensum.
Vel Cephas
ille fuit ex
72. discipulis
ait Clemens
Alexandri
nus disp. lib.
teste Euse
bio Cel. lib.
1. de Eccl.
Hist. ca. 14.
Sed hoc opi
nio abole
uit testimo
nio Augusti
ni, & Hiero
nymus. Vide
Concil. Pau
li. Et vide
Hist. Sa. rā
Mull. lib. 2.
cap. 14. ubi
Augustini
& Clemen
tis dictum
non incon
cinēdē confir
matur. Et ui
de D. Tho.
2. super Gal.

* Maria Vir
go nec uen
ialiter po
tuit pecca
re. De Chri
sto vide Ma
gistrum lib.
3. d. 12. Di
ctam uero
Chrysostomus
per illud
Mat. 12. Ho
mil. 15. Ec
ce mater
tuus. Et super
illud aliter
Joan. 2. Ho
mil. 20. Vi
rum non ha
bent. ubi
Chrysostomus
ait B. Vir
gine in a
ni gloria af
fecta fuisse;
debet intel
ligi non quā
tum ad ipsā
Virgine sed
quātum ad
13. quod ab
homine pos
set sustine
ri. Itē Augu
stinus dicit
q. 73. vet. &
nou. Testa
ment super
illud Lucæ
2. Et uir ip
sius animā
per transibit
gladius, ubi

appetitus satiari: ut non peteret ulteriore finē; Hoc autē est impossibile: ideo comunicari hoc creaturæ nō potest. Nam cum voluntas, vel libe
rū arbitrium sit appetitus sequens intellectum, &
obiectū intellectus sit uniuersale: oportet q̄ bonū
satiatis appetitum intellectuum sit bonum uniu
ersale: hoc autem est solus Deus. unde Augusti
nus vult, q̄ animā Dei capere nihil minus Deo
replere potest. Et idē in principio confessio quē
Deo ait: Ad te nos fecisti domine, & inquietum
est cor nostrū, donec requiescat in te. Cum ergo
Deus sit finis supernaturalis: impossibile est ali
quam creaturam rationalem esse naturaliter bea
tam: cum non possit esse beata nisi per donū su
pernaturale, & si non esset naturaliter beata, nō
posset esse natura impeccabilis: sic ergo creatu
ra corporalis nō potest esse naturaliter incorru
ptibilis: nisi totus appetitus suæ materiæ sit re
pletus: cum peccatū in moralibus se habeat sicut
corruptio in naturalibus, nō poterit aliqua crea
tura esse impeccabilis naturaliter: nisi eius intel
lectus appetitus sit naturaliter satiatus. Posset
ergo illa creatura esse beata naturaliter, quod est
impossibile. Aduertendum tamen, q̄ aliquid est
tale sū legē cōmunē: aliquid vero sū aliquam
rationem specialem. Lex autē cōmunis q̄ creatu
ra rationalis peccare non possit: est q̄ sit beata,
& q̄ sit in patria: tamen ex speciali dispensatio
ne Dei, vel ex speciali Dēi prouidentia concess
um est aliquibus in via, q̄ peccare non possint
mortaliter, ut Beato Ioanni Baptista: qui reple
tus fuit Spiritu sancto adhuc in utero matris suę:
poterat tamē peccare uenialiter. Apostoli etiā
post receptionem Spiritus sancti mortaliter pec
care nō potuerūt, quia dicit Act. 13. Repleti sunt
omnes Spiritu sancto. Sed Beata Virgo sic fuit
gratia plena, q̄ nec uenialiter, nec mortaliter pec
care poterat. Non ergo ex natura, sed semper ex
plenitudine gratiæ, ut sū legem cōmunem: ut in
patria. sed sū quandam sanctificationem spe
cialem, ut aliquibus personis in via cōcessum est
modo, quo diximus non posset peccare.

Secunda via ad hoc idem potest sumi ex incō
prehensibilitate finis, qui intenditur moralibus:
& licet hęc via videatur habere eandem radicem
cum prima: erit tamen specificatio primæ: Dice
mus enim, q̄ secundū legem cōmunē nullus pōt
fieri impeccabilis, nisi videndo Deum, quem vi
dens nullo modo peccare potest, & quē non vi
dens sū legem cōmunē impeccabilis esse non
potest. Nam nullus sū Dionysium, aspiciens ad
malum agit, quod agit, nec potest esse, q̄ malum
sū se posset mouere appetitum, sed semper mo
uetur sub ratione boni. Videns ergo Deum, qui
est bonum omnis boni, & qui est uniuersale bo
num, non potest non ferti in ipsum toto cona
tu, & non potest non satiari diligendo, & aman
do bonum tantum, iuxta illud 16. ps. Satiabitur
cum apparuerit gloria tua. Dicere ergo creatu
ram posse esse naturaliter impeccabilem, est dice
re posse creaturā naturaliter videre Deum. Cum
ergo homo sit falsum, dicente Apostolo, q̄ lucē

A habitat inaccessibilem. & dicite eodem: Regi au
tem sæculorū immortalī, inuisibili, soli Deo. Si
cut ergo solus Deus est, Tim. 1. est Rex sæculorū,
& ipse est naturaliter immortalis, id est, naturaliter
immutabilis: sic solus ipse est naturaliter inui
sibilis ab omni creatura, & quia non posset face
re creaturam naturaliter impeccabilem, nisi fa
ceret ipsam naturaliter immutabilem, & nisi fa
ceret eam talem, q̄ naturaliter Deus esset ei visi
bilis. Nam non posset facere creaturam rationa
lem, vel intellectualem naturaliter impeccabilem,
nisi faceret eam Deum, quod est impossibile.

Tertia via ad idem sumitur ex defectibilitate
creaturæ. Nam eo ipso, q̄ creatura vertibilis est:
quia quod a uersione incipit, uersioni subiectū
est. Vnde Damascenus, lib. 1. cap. 11. ait: Omnia, quę sūt,
aut creabilia sunt, aut increabilia. Si ergo creabi
lia quidem sunt, & vertibilia. Quorum enim esse
a uersione incipit: hęc uersioni subiecta sūt. Om
nia enim vertibilia, vel possūt esse corrupta, vel
sū electionem alterata. Possumus enim loqui de
corruptione dupliciter, vel sū agēcia naturalia,
quæ immediatē non attingunt ipsam essentiam
materiæ, sed mediante aliqua contraria qualita
te: & sic quæcunque cōtrarietate carent, oportet
esse incorruptibilia: uel possumus cōparare ista
corporalia ad Deum, qui immediatē attingit ip
sam essentiam materiæ, sū quam nulla est disse
rētia inter supercælestia, & hęc inferiora: secū
quem modum verificari potest illud dictum Augu
stini, vi. super Gen. q̄ omne corpus potest mu
tari in omne corpus: nullum autem corpus po
test mutari in animam.

Comparando ergo cor
pora ad agens diuinum: omne corpus potest mu
tari in omne corpus: quia omnia corpora habēt
eandem essentiam materiæ: quam immediatē at
tingit Deus, qui sū Augustinum in lib. Cōfess.
est uicinior cuilibet rei, quā ipsa res sibi. Sic er
go possumus intelligere uerba Damasceni. q̄ omnia
creabilia sunt vertibilia; vel quantum ad corru
ptionē: cuiusmodi sunt vertibilia omnia corpo
ralia: cum omne corpus uirtute diuina possit cō
uertere in omne corpus. Sed esse vertibile secun
dum electionem, hoc competit omnibus substan
tijs spiritualibus. Nam substantijs spiritualibus
non potest cōpetere uisio quantum ad corruptio
nem, nec in se inuicem, q̄ una mutetur in aliam:

pecin corpora, q̄ aliqua earū mutet in corpus,
vel ecōtrario, nec in uirtute diuina, nec alia, quia
contradictionē implicarēt: cū secundū Boetium
spirituales substantiæ omnis materię careāt funda
mēto, secundum quē res possunt ad inuicē trāsmu
tari. Poterunt ergo spirituales substantiæ esse verti
biles nō secundū corruptionē, sed secundū electio
nē. uersio est propria spiritualibus, & scdm anni
hilationē est cōmunis omnibus creaturis. uersio
ergo secundū corruptionē est propria corporali
bus, sū electionē est propria spūalibus, quæ sū
annihilationem est cōis omnibus creaturis. Hoc
ergo modo possunt verificari uerba Platonis, q̄
* corpora supercælestia secundum suā naturā, sunt
corruptibilia, sed uoluntate diuina incorruptibi
lia per-

ait B. Virgi
nē dubitatē
te in Chri
sti morte
debet expo
ni de dubi
tatione ad
mirabilis,
& stuporis,
qui fuit in
ea per mo
dū transeu
tis. quia Au
gust. lib. de
Nat. & gra
tia c. 36. To
mo 7. dicit
eā fuisse im
mūnem ab
omni pecca
to Alphon
sus autē de
Castro con
tra hęc. tit.
Melchisedech
negat
Quast. vet.
& no. Testa
menti esse
Augustini.
ibi enim
q. 109. Mel
chisedech
ex Gen. 14.
dicit spiritus
Sāctus in hu
mana carne
apparens.
Id quod 14
quā hęc
ritum dam
nat August.
hæret. 34.
Tomo 5. Vi
de Alph. Et
D. Tho. 3. p.
q. 27. art. 4.

* Plato in Ti
mæo. ubi
Deus alio
quens Ange
los ait: Dii
Deorū, quo
rum opo
fex ego sū
&c. Quæ
ā me facta
sunt. me ita
uolente in
dissolubilia
sunt. omne
dissolui po
test: & uos
immorta
les, & indis
solubiles
omnino nō
esset.

lia perseverant, quia cum habeant naturam immaterialem, & considerando naturam, & essentiam materiae nudam, & absolutam, secundum se non habeant, per quid differant; sed sit vna, & eadem in omnibus corporibus poterit virtute diuina quodlibet corpus corrumpi, vel mutari in quodcunque corpus: licet hoc non possit fieri per agentia naturalia, quae non attingunt essentiam materiae nudam, & secundum se, sed mediante aliqua qualitate contraria: propter quod omnes generationes, & corruptiones factae per agentia naturalia, ut patet per Philosophum quasi ubique, & semper sunt ex contrariis, & in contraria. Si ergo hoc est proprium omni creaturae rationali, vel intellectuali, quod sit vertibilis naturaliter secundum electionem, & ex hoc secundum naturam, oportet, quod quaelibet spiritalis substantia sit peccabilis, vel sit potens peccare: si aliqua natura spiritalis per naturam poneretur esse impeccabilis, implicaret conditionem, cum probatum sit, omnem spirituales substantiam esse per naturam peccabilem, vel quod idem est, esse per electionem vertibilem. Si ergo aliquibus creaturis spiritalibus concessum est non posse peccare: sic concessum est Angelis, & animabus beatis, non erit per naturam, sed per gratiam.

Substantia
in uno, in
alio accidens
esse non potest.
1. Phys. 2. 1.

Tomo 3.
c. 1.

Caeli motus
cur regularis,
& naturalis
quomodo.

Exemplum de
2. 1.

RESP. AD ARG. Ad primum dicendum: Sicut quod est substantia in vno, non potest esse accedens in alio; nec e contrario: quod est accedens in vno, loquendo de accidente reali, non potest esse substantia in alio, nisi in solo Deo, in quo, quae sunt accidentia in nobis, sunt substantia in ipso. iuxta illud Aug. v. de Tri. Intelligamus Deum quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum. Bonitas ergo quae est in nobis, potest esse qualitas, & accedens, in Deo est ipsa substantia: magnitudo, quae in nobis est quantitas, vel accedens, in Deo est sua simplex, & pura substantia. Sic & in proposito, quod est gratia in vna substantia spiritali, non erit natura in alia, nisi in solo Deo, ubi omnia absoluta transseunt in naturam. ergo non posse verti secundum electionem non competit creaturis spiritalibus, nisi per gratiam. quod soli Deo competit per naturam.

Ad secundum dicendum, quod corpora caelestia semper mouentur regulariter: sed ille motus non est naturalis, quod sita natura caeli, vel sit a forma, quae dat esse caelo: sed hoc est a natura spiritali mouente caelum. dicitur tamen ille motus naturalis, ut supra patuit, quia quicquid est a causa superioris, potest dici naturale. Sic etiam & in proposito liberum arbitrium nostrum a causa superiori, ut a Deo, semper posset moueri regulariter: & si hoc modo posset dici quod naturale, prout quicquid est a causa superiori est naturale. Non acciperetur naturale, ut hic de naturali loquimur. Nam hic dicimus hoc naturale, quod poterit creatura suis naturalibus dimissa, operante tamen Deo in ea, prout operatur in operibus naturae, non autem prout operatur in operibus gratiae, secundum quem modum omnis creatura spiritalis naturaliter est vertibilis secundum electionem, & per consequens potest peccare,

A Ad tertium dicendum, quod Angeli peccare non possunt per gratiam: homines vero peccare possunt, quia non habent illam gratiam, quae est gratia consummata, & quae est idem, quod gloria. Erit ergo differentia inter homines, & Angelos: quia homines possunt peccare, & non Angeli: sed haec differentia erit ex parte ipsius gratiae, non ex parte naturae, modo, quo dictum est.

Ad quartum dicendum, quod omnes creaturae corporales sunt corruptibiles: modo, quo diximus, & omnes creaturae spirituales sunt vertibiles per electionem, & hoc modo peccabiles, modo, quo dictum est.

A R T I C. II.

B *An hominem peccare, uel tentari Deus permittere debuerit. Conclusio est affirmatiua.*

D. Th. 2. 2. q. 1. 65. art. 1 Et 2. Sent. d. 23. q. 1. art. 2. D. Bon. d. 23. art. 1. q. 2. Ric. d. 23. q. 3. Biel d. 23. q. 1.



D secundum sic proceditur: videtur, quod Deus non debuit hominem permittere peccare, vel tentari, quia ad iustum iudicem spectat non permittere debilem inuadi a fortiori: sed Diabolus erat fortior homine: ergo non debuit Deus permittere, quod Diabolus tentaret, vel inuaderet hominem.

C Præterea Deus non solum iustus iudex vult, sed etiam est pius, & bonus pater. Sed bonus pater non permetteret filium aggredi bellum, in quo sciret ipsum esse superandum, & vincendum: sed Deus præciebat hominem esse superandum a Diabolo in illa tentatione, & in illo bello. ergo non debuit permittere hominem sic tentari, & aggredi tale bellum.

Præterea Deus non solum est iustus iudex, & bonus pater, sed etiam est sapiens artifex. Sed quilibet sapiens artifex facit quantum potest suum opus competens suo fini & non permittit: sed quantum potest prohibet a suo opere deordinantia ipsum a suo fine. Cum ergo finis hominis sit beatitudo, non debuit permittere ipsum tentari scilicet ipsum ex hoc deordinandum a sua beatitudine.

D Præterea quae habent vnum, & eundem finem, habent vnam, & eandem facultatem perueniendi ad illum finem. Sed homo, & Angelus ordinantur ad eundem finem, & ad eandem beatitudinem. Cum ergo Angelus Lucifer non fuit tentatus ab alio, non debuit Deus permittere hominem tentari ab alio.

IN CONTRARIUM est. Quia id, de quo Deus laudatur, fuit faciendum: sed, ut potest haberi ex littera, permittere hominem tentari fuit ad laudem Dei, ergo &c.

Præterea secundum Aug. viij. de Ciuit. Deus sic adimitrat res, ut eas proprios cursus agere sinat. Non ergo debuit Deus ab homine tollere liberum ar-

Tentatio hominis fuit ad laudem Dei.

Tomo 5. cap. 30.

rum arbitrium, nec debuit impedire Diabolum, quod non tentaret hominem, quia non poterat vincere, nisi volentem.

RESOLVTIO.

Deus hominem tentari, & peccare permisit, ut eum probaret, puniret, confunderet, erudiret, ac posteros terreret.

RESPONDEO dicendum quod Aug. xj super Gen. assignat quinque rationes, quare permisit Deus hominem tentari. Ut sit prima ratio, ut hominem probaret. Secunda, ut probatum convinceret. Tertia, ut peccantem puniret. Quarta, ut eum confunderet, & confundendo erudiret. Quinta, ut ex hoc ipsum, & a iis suis posteros terreret. Hæc autem quinque, ex quibus possumus sumere quinque rationes ad propositum: sic ad inuicem se habent. Nam permittere hominem tentari fuit permittere hominem impugnari, & quasi ipsum exercitari in quodam bello. Primum ergo; quia hoc permisit Deus, ut hominem probaret, referendum est ad ipsum actum impugnationis. Nam quilibet cum actu impugnatur & actu bellat, siue sit illa impugnation, & illud bellum sit actus corporales, ut apparet in duello, & in quocunque manuali bello, siue sit sit impulsiones morales, ut apparet in pugna secundum tentationes nobis factas, semper in tali actu pugnandi accipitur probatio, & experimentum de pugnante. Prima ergo ratio, quod Deus permisit hominem tentari, ut ipsum probaret. de ipso acciperetur probatio, & experimentum, referenda est ad ipsum actum tentationis. Est tamen nihilominus ista ratio prægnans. Nam, quod quis coronetur, nisi legitime certauerit, quod quis accipiat diadema victoriæ, nisi bellet, non est conveniens. Voluit ergo Deus primum hominem esse actum in pugna, ut meritum acciperet ex illa pugna, si vinceret, & si caderet, puniretur. Unde Magister in littera ait, quod gloriosius est non consentire suadenti. i. tentanti, quam tentari non posse. Prima ergo ratio de probatione potest accipi ex ipso actu pugnandi. Alię autem possunt accipi ex defectibus, quos incurrimus, si deficiamus in pugna. Sunt autem huiusmodi defectus quatuor, scilicet quod quatuor sunt potentie: in quibus habet esse quatuor virtutes Cardinales, & possunt etiam in eis quatuor defectus esse habentes aliqualem oppositionem ad virtutes illas. Adā. n. tentatus a Diabolo vel per mulierem deceptam a Diabolo, & ex hoc edēs de ligno vetito incurrit temperantiam in concupiscibili, per quod erat convincendus, defectum iustitię in voluntate, per quod erat puniendus defectum prudentię in intellectu, de quo erat confundendus, erudiendus, & defectum fortitudinis in irascibili, de quo multum erat subitimidum, & de quo ipsi & sui posterius multum erant terredum. Quando. n. primus homo creatus, & primus pugil noster tam modica impulsione succubuit, ipse, & alij sui posterius debuerunt terredi, ne in tentationibus succumbant. Hæc autem quinque tangit Augustinus in dicto libro, quod Deus permisit tenta-

Tentari hominem qui
bus rationibus Deus
permisit.

Gloriosius
est resistere
tentanti, quam
tentari non
posse.

Adā a Dia-
bolo victus
quod defe-
ctus incur-
rit.

ri hominem illa tentatione ad ipsum probandum, convincendum, puniendum, confundendum. i. per confusione, & erubescētiā erudiendum, & terredum. Ista ergo quinque, quę assignat Augustinus, propter quę permisit Deus tentari primum hominem: ut aliquantulum potest patere per habita, sic accipi possunt: Quia primum, videlicet, quia Deus permisit tentari hominem ad probandum ipsum, referendum est ad ipsam pugnam, siue ad ipsam tentationem. quia quilibet per ipsam tentationem, probatur qualis pugnator sit. Reliqui verò quatuor referri possunt ad quatuor defectus quatuor potentiarum, in quibus habent esse quatuor virtutes Cardinales, & vitia eis opposita. in quibus omnibus defecit Adā. Distinguntur autem in anima tres partes cōiter, videlicet concupiscibilis, irascibilis, & rationalis. Cum ergo concupiscibilis, & irascibilis nominent appetitum sensitivum, proprie loquendo, oportet, quod rationalis nomen totam illam partem animę, quę non est affixa organo, cuiusmodi sunt intellectus, & liberum arbitrium, quod potest dici voluntas. erunt ergo quatuor partes animę, in quibus habent esse quatuor virtutes, & potissime Cardinales, concupiscibilis, irascibilis, intellectus & voluntas, ut superius tangebatur. quia in voluntate habet esse iustitia, in intellectu prudentia, in concupiscibili temperantia, in irascibili fortitudo, permisit ergo Deus, Adam tentari non solum ad ipsum probandum quod respicit ipsam pugnam, siue ipsam tentationem. sed etiam ad convincendum de gula, vel de intemperantia. quę opponitur temperantię, & habet esse in concupiscibili, & ad puniendum de inobedientia, vel iniustitia, quia fecit contra mandatū Dei. quę iniustitia opponitur iustitię, & habet esse in voluntate, vel ad confundendum eum, quia credidit aliquo modo Diabolo, quod fuit magnę insipientię, quę insipientia opponitur prudentię, & est quidam defectus eius, & habet esse in intellectu. Permisit hoc etiam ad terredum ipsum Adam, & alios posteros hoc audientes de tanta debilitate quod sic debilitate & debili impulsu cecidit. quę debilitas opponitur fortitudini & habet esse in irascibili. Est. n. debilitas quędam defectus fortitudinis, vel irascibilis, in qua est fortitudo. Aduertendum autem, quod præter has quinque rationes, vel causas assignatas xj. super Gen. quare Deus permisit hominem tentari, assignat Augustinus tres alias causas xiiij. de Ciui. ca. penult.

Animę partes.

Tomo 5.
Animę partes
quatuor
in quibus
sunt quatuor
virtutes Car-
dinales.

Tomo 5.
Diaboli debilitas.

neni tēari, & nolebat ab eo auferre potestatem liberi arbitrij, quæ ipsi Adæ naturaliter compete-
A
bat.

Diabolus
quomodo
homine for-
tior, & debi-
lior.

Tomo 5.
cap. 12.

RESP. AD ARGUMENT. Ad primum dicendum, quod licet Diabolus secundum se sit fortior homine, quia habet excellentiorem naturam, quam homo: tamen in illa pugna tentationis non erat fortior, sed longe debilior: quia non poterat eum vincere nisi volentem. Vnde Augustinus loquens de facilitate uictoriae in illa pugna 14. de Ciuit. ait, quod mandatum diuinum de non edendo lignum vetitum tanto maiori iniustitia violatum est, quanto facilius poterat obseruantia custodiri.

Ad secundum dicendum, quod bonus, & pius pater non permittit filium suum pugnare, quæ in bello præscit ipsum succumbere, nisi iustitia hoc exigat, sed si iustitia hoc exigat, non solum permittit ipsum succumbere in bello, sed & cruciari tormēto. Nam Deus ita est pius pater præmiando bonos, quod & est iustus iudex puniendo malos: & quia hoc exigat iustitia, quod non coronetur, nisi qui legitime certauerit, ut possimus mereri coronam, permittit nos impugnari, & tēari, iustitia exigente, ut succumbētes puniamur, vincentes coronemur.

Ad tertium dicendum, quod sapiens artifex sic est propitius suo effectui, quod tamen uult suum effectum conseruare in sua natura, & non facere contra naturam eius, nisi sit dare rationabilem causam, quare hoc faciat, & quia homo naturaliter est liberi arbitrij, & liberum arbitriū in homine, & in omni creatura humana se habet ad bonum, & malum: ideo sic uult Deus esse propitius suis effectibus, vel suis creaturis, quod si sunt liberi arbitrij, quod sinat eos agere secundum liberum arbitrium, & si bene vtantur eo, dum sunt in uia, post viam præmiantur, & confirmantur in bono. Si uero malè, puniantur, vel ostinentur in malo.

Ad quartum dicendum, quod vnus est finis, & vna est beatitudo hominum, & Angelorum propter quod Augustinus 12. de Ciuit. Dei, circa principium ait, quod boni Angeli, & homines non facient nisi vnam Ciuitatem Dei, & eodem modo ad istum finem comparantur homines, & Angeli: quia primo se habēt, ut uiatores, postea, ut cōprehensores: primò, ut pugnantes, postea, ut coronā recipientes. Vtrū autem huiusmodi pugna, & huiusmodi tentatio sit a seipso, vel ab alio, nihil ad propositū. Vtroque enim modo potest vincere, vel vinci in pugna, vel in tentationibus, quæ surgunt ex seipso.

sic victus fuit Lucifer, qui videns sepulchrum, aliquod motuum habuit ad superbiendum, siue hoc sit ex alio, sicut fuit victus homo.

QVÆST. II.

De primorum Parentum cognitione.



Ostea quæritur de secundo principali scilicet de cognitione primorum Parentum. Circa quod quærentur quatuor. Primo vtrum viderit Deum per essentiam. Secundo vtrum habuerint fidem. Tertio vtrum habuerint cognitionem omnium rerum creaturarum. Quarto vtrum potuissent decipi.

ARTIC. I.

An primi Parentes Deum viderint per essentiam. Conclusio est negativa.

Agid. Quol. 3. q. 15. D. Th. 1. p. q. 94. art. 1. Et 2. Sent. d. 23. q. 2. art. 1. Et de Veritate q. 18. art. 1. D. Bon. d. 23. art. 2. q. 3. Ric. d. 23. q. 5. Biel d. 23. q. 1. Dur. d. 23. q. 2. Capreol. d. 23. q. 1. Bacc. 4. Sēt. d. 49. q. 1. & 50. q. 1. & ibi multi Theologi, & in 1. Sent. d. 3.



Ad primum sic proceditur. videtur, quod primi Parentes viderint Deum per essentiam: quia Magister 4. Sententiarū dist. 1. ait: Homo enim qui ante peccatum sine medio Deum videbat, post peccatum adeo crebuit, ut nequeat diuina capere, nisi humanis exercitijs. Sed videre Deum sine medio est videre diuinam essentiam, ergo &c.

Præterea secundum Augustinum lxxxij. quæstionum, quæstione de imagine. Homo ad imaginem Dei dicitur, nullo dubitante factus accipi, in quo est intelligentia veritatis. Et subdit, quod homo heret veritati diuinæ, nulla interposita creatura, sed hære veritati diuinæ, nulla interposita creatura, est videre ipsam Dei nudā essentiam, ergo &c.

Præterea Augustinus xliij. de Trinit. ait: Sic eius ordinata est anima, cum naturali ordine non locorum, ut supra illam non sit, nisi ille, idest, Deus. Sed constat, quod Adam in illo statu cognoscebat Deum, si ergo cognouisset eum per medium, uel mediante aliqua creatura: tunc illa creatura fuisset media inter animam Adæ, & Deum, quia secundum Augustinum est inco-

Adam ante peccatū videbat Deū sine medio.

Tomo 3. c. 14.

est inconueniens. Arguit autem istud argumen-
tum de cognitione animæ Adæ, in quo erat na-
tura non corrupta. Nos autem habentes natu-
ram corruptam per peccatum: non oportet ta-
lem cognitionem habere. Videbat ergo Adam
sine medio Deum, & per consequens videbat ip-
sam diuinam essentiam.

Præterea, quicumque non habet illud, quod
desiderat habere, est ei pœna, & afflictio: sed
quilibet desiderat videre diuinam essentiam: Iux-
ta illud August. circa principium Confess. Ad te
nos fecisti Domine, & inquietum est cor no-
strum, donec requiescat in te. sed in Adam pro
illo statu non poterat esse, nec pœna, nec affli-
ctio, ergo &c.

Præterea quando aliquid ordinatur naturali-
ter ad aliud, nisi impediatur, semper obtinet il-
lud. sed homo naturaliter ordinatur ad viden-
dam diuinam essentiam: Cum ergo in illo sta-
tu Adam non posset in hoc naturali ordine impe-
diri, aperte concluditur, quod videbat diuinam
essentiam.

IN CONTRARIUM est Augustinus 1.
de Trinit. cap. ult. qui loquens de visione Dei,
ait, quod visio illa est vita æterna. Si ergo Adam
vidisset Deum per essentiam, habuisset vitam
æternam, & non potuisset mori.

Præterea secundum Augustinum 1. de Trinit.
cap. 9. visio est tota merces. Et secundum eun-
dem lib. eodem cap. 8. contemplatio, siue visio
Dei promittitur nobis actionum omnium finis,
atque æternæ perfectio gaudiorum. Fuisse ergo
Adam simpliciter Beatus, si vidisset Deum per
essentiam.

R E S O L V T I O.

*Adam in statu innocentie Deum per essen-
tiam non vidit: non tamen per tot me-
dia, sicut nos in uia videmus: nec
per ita pauca, sicut
Beati.*

R E S P O N D E O dicendum, quod ut patet
per Magistrum in textu præsentis Dist. Adam
pro illo statu habuit cognitionem medium inter
cognitionem præsentis miseriæ, & cognitionem
patriæ post hanc vitam, quæ erit cognitio bea-
torum. Nam & nos in superioribus dictis pro-
bauimus illum statum innocentie esse medium
inter statum gloriæ, & statum miseriæ, quia
quantum ad cognitionem expressè asserit Magi-
ster in littera dicens, quod cognouit Adam
Deum, a quo creatus fuerat, non eo modo co-
gnoscenti, quo ex auditu solo percipitur, non
ita excellenter, sicut post hanc vitam, Sancti sunt
visuri.

Videndum est ergo, quomodo per medium,
vel sine medio videtur Deus in Patria, & quo-

A modo per medium, & sine medio videtur Deus
in via, vel in hoc statu miseriæ, ut inter istos
duos modos extremos accipiatur ille modus me-
dius, secundum quem Adam videbat Deum in
statu innocentie.

Aduertendum ergo, quod secundum Damas-
lib. 2. cap. 12. sicut est oculus in corpore: ita est
in anima intellectus. Si ergo comparando oculum
ad intellectum: vel comparando visionem sen-
sitivam ad intellectiua: possumus declarare
quomodo fit cognitio rerum per medium, vel
sine medio.

B Possumus autem enumerare quincuplex me-
dium, videlicet speculari, situale, confortati-
uum, habituale, & actuale: nec curetur de nomi-
nibus, vel de modo loquendi, quia quando con-
stat de rebus, de nominibus non est curan-
dum.

Vnum autem istorum medium, videlicet si-
tuale, non potest adaptari ad intellectum, quia
intellectus non est virtus situalis. Sic etiam me-
dium habituale non potest adaptari ad oculum.
In visione ergo sensitiva poterunt esse omnia
præfata media, præter habituale: & in cognitio-
ne intellectiua poterunt etiam esse omnia alia me-
dia, præter situale.

Dicemus ergo, quod medium speculari est
quando non videtur ipsa res in se, sed videtur in
aliquo, in quo relucet similitudo illius rei, sicut
in speculo relucet imago rei visibilis. Hoc enim
medium potest esse in visione sensitiva, ut cum
quis videt faciem suam in speculo, non videt fa-
ciem suam in se, sed in speculo. Nam facies mul-
tiplicat suam imaginem, vel suam similitudinem
vsque ad speculum, & postea a speculo se multi-
plicat illa similitudo vsque ad oculum, & hoc mo-
do recipitur talis similitudo in oculo, qualis est
recepta in speculo. Ergo talis visio fiet per me-
dium speculari, quia speculum erit medium vi-
dendi in tali visione: & quod dictum est de visio-
ne sensitiva, veritatem habet de visione intelle-
ctiua, & maxime prout in hac vita per intelle-
ctum videmus Deum: quia non possumus vide-
re Deum in se, sed videmus ipsum in creaturis,
vel per creaturas, sicut nullus potest faciem suam
videre in se, sed videt eam in speculo, & per
speculum. Ideo dicitur ad Rom. 1. Inuisibilia

C Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt,
idest, per creatura, intellecta conspiciuntur.
Quilibet ergo creatura est quoddam specu-
lum Dei, quia in qualibet creatura relucet ali-
qua similitudo Dei. Verum quia illud reluce-
re potest esse magis, & minus clarè. Ideo A-
postolus 1. ad Corint. Visionem, quam ha-
bemus de Deo in hoc statu miseriæ, vocat spe-
culum, & ænigma dicens: Videmus nunc per
speculum in ænigmate, intendens per specu-
lum cognitionem, quam habemus de Deo in
creaturis magis claram: per ænigma magis
obscuram, ut satis potest patere per Gloss.
ibidem. Est ergo vnum medium, tam in vi-
sione sensitiva, quam intellectiua, quod di-
citur speculari, quando non ipsa res videtur

Aegid. super ij. Sent. V secun-

Oculus in corpore, si-
cut intelle-
ctus in anima.

Media co-
gnoscenti
quinque in
cognitione
sensitiva,
totidem-
que in intel-
lectiua, si-
tuali medio
excepto.

Medi specu-
lare.

Rom. 1.

Creatura
quilibet spe-
culum Dei.

1. Cor. 13.

Visio per spe-
culum in æni-
gmate quo
sumenda.

Tomo 1.

Visio Dei vi-
ta æterna.

Tomo 5.

Adam quæ
habebat co-
gnitionem

secundum se, sed per aliquam similitudinem eius.

Medium si-
tuale.

l.c. 73. & 75

Secundum autem medium potest dici situale, & hoc medium est in visione sensitiva, quia secundum Philosophum in 2. de Anima. Hoc est commune omni sensui, quod sensibile positum supra sensum non facit sensationem. Oportet ergo esse aliquam distantiam situalem inter sensum, & sensibile, & oportet ibi interponi aliquid corpus, ut puta aerem in auditu olfactu, & visu, vel ipsam carnem in alijs duobus sensibus, ut in tactu, & gustu, ad hoc quod, sensibile immutet sensum. Sed tale medium situale non potest esse secundum se in cognitione intellectiva, cum intellectus secundum se non sit virtus situalis.

Medium con-
fortativum

Intellectus
possibilis, &
agens quid
differant.
l.c. 18.
l.c. 18.

Est & tertium medium, quod potest dici confortativum, & istud medium in visione sensitiva est lux sensibilis, siue lumen. In visione autem intellectiva est lux, vel lumen non sensibile: sed intellectuale, quod lumen in cognitione nostra naturali a Philosophis vocatum est intellectus agens. Et ideo vult Philosophus in 3. de Anima, quod sicut intellectus possibilis est omnia fieri: Ita intellectus agens est omnia facere. Propter quod vult Philosophus in eodem 3. quod sicut lux, se habet ad colores. Ita intellectus agens habet se ad Phantasmata. Sicut ergo colores non possunt mutare visum: nisi mediante luce sensibili, sic phantasmata non possunt mutare intellectum possibilem, nisi mediante intellectu agente, qui est quædam lux intellectualis. A Sanctis autem, ut supra tetigimus, non invenimus speciale nomen de huiusmodi luce, Augustinus tamen de huiusmodi intellectu agente ait in 2. de Civit. quod omnia cognoscit anima in quadam luce sui generis, id est in quadam luce spiritali, cum anima sit substantia spiritalis. Hoc autem medium potest dici medium confortativum, quia lux sensibilis confortat colores, & dat eis quandam fortitudinem, ut possint immutare visum, & potest dici etiam, quod confortat ipsum visum, ut possit recipere colores, licet forte magis videatur confortare colores, quam visum, quia si aer sit illuminatus ex parte colorum: non autem ex parte oculi, ex parte oculi non posset oculus recipere similitudines colorum, propter quod utrumque requiritur. Ergo lux propter colores, & propter oculum. Nam si nullo modo requireretur lux propter oculum: non esset lux de compositione oculi, quod videmus esse falsum. Nam ex contricatione oculi videtur quædam lux exire ab oculo, quod forte non esset, nisi lux elementalis esset de compositione eius.

Lux requi-
ritur ppter
colores ma-
gis, q. pp
oculum

Quod ergo dictum est de luce sensibili, quod est medium confortativum, prout colores comparantur ad oculum, possumus dicere de luce intelligibili siue de intellectu agente, quod est medium confortativum, prout phantasmata comparantur ad intellectum possibilem. Nam intellectus agens confortat phantasmata, id est, dat quandam fortitudinem phantasmatis, ut

possint movere intellectum possibilem. Nam cum phantasmata sint intelligibilia in potentia, cum nihil agat nisi secundum, quod est in actu, consequens est phantasmata in virtute propria non posset movere intellectum possibilem. Moveret ergo ipsum propter fortitudinem, & propter virtutem, quam influit eius intellectus agens. Sicut ergo intellectus agens contortat phantasmata, ut possint immutare intellectum possibilem, sic etiam confortat intellectum possibilem, ut possit recipere similitudines phantasmatum. Nam, ut vult Commen. in 3. intellectus possibilis simul recipiendo similitudines phantasmatum, recipit lumen intellectus agentis.

Medium ha-
bituale.

Quartum autem medium potest dici habituale, & tale medium est species intelligibilis in memoria, a qua, ut ait Augustinus in pluribus locis, & præsertim in libro de Trinitate, gignitur actu species in intelligentia, vel in acie cogitantis, & talis species dicitur medium habituale, quia sicut ab habitu generatur actus, ut a scire generatur considerare, & cum definimus considerare, non propter hoc definimus scire a specie in memoria, ubi habet esse quoddam habituale gignitur actualis cogitatio, & intelligentia, qua desinente, non desinit illa species habitualis in memoria.

Medium ergo habituale potest dici actus intelligendi genitus ex illa specie. Possumus ergo habere plura media habitualia, & plures species, sed habebimus unum medium actuale, & unum actum intelligendi, siue ille actus sit simplex, siue sit compositus. Nam intellectus non solum intelligit discurrendo a principiis ad conclusionem, & ab una propositione ad aliam, sed etiam intelligit componendo, & diuidendo, vel affirmando unam rem cum alia, & negando unam rem ab alia: Omnia ista possunt esse media in intelligendo. Nam intellectus fertur in suum intelligibile: aliquando mediantibus omnibus istis quatuor medijs, ut fertur in Deum speculariter, non intelligendo ipsum Deum in se, sed in creatura, in qua reuelat Deus: Ita quod ad intelligendum Deum concurrunt omnia quatuor præfata media loquendo de intelligere in via, sed ad intelligendum creaturam possunt sufficere tria de assignatis medijs, videlicet medium confortativum, ut lumen intellectuale, quod est ipse intellectus agens, & medium habituale, & actuale, cuiusmodi sunt species, & actus intelligendi. Mediantibus enim omnibus istis medijs potest ferri intellectus in suum intelligibile: sed si comparamus intellectum ad sensum, non erit in sensu medium habituale, & actuale, vel non erit in sensu species visibilis, & visio. Multiplicat enim visibilem speciem suam vique ad visum, & recipitur spes rei visibilis in ipso visu, siue in ipso organo, per quod videmus, quod illa species sic recepta est ipsa visio, siue ipse actus videndi. Vnde Augustinus in 1. de Trinit. ait, quod gignitur ex re visibili visio. Et ipse ibidem vult quod ex corpore quod videtur, informatur sensus, quæ forma est visio. Sicut ergo ex corpore calido

Medium
actuale.

* Deus in via
p quatuor
media in-
telligitur.
Creatura p
tria media
intelligit.
* Species re-
cepta in se-
su est sensa-
tio ipsa. S. vi
de q. 1. de
cogn. Ange-
lorum.
Videmus cir-
ca hoc ma-
xima est co-
trouersia i-
ter exposi-
tores, num
species sensi-
bilis distin-
guatur ab
actu sentiē-
di, nā Lucil-
lus Phila-
theus in ex-
positione
cōt. 5. 2. de
Aīa tuetur
partem ne-
gatiuā vñā
cū Doctore
nō hoc in
loco. Arcan-
gelus autē
Mercenari-
tue partē
affirmatiuā
in expositio-
ne eiusdem
loci.
* To. 3. c. 2.

fit

fit calor in re calefactibili, qui calor est ipsa calefactio, & ipse actus calefaciendi. sic ex re visibili fit species visibilis in organo visus, quæ species est ipsa visio, vel ipse actus videndi. Ex parte ergo ipsius sensus, siue ex parte ipsius visus non est ibi alia species, quam ipse actus videndi. Et si quæretur quid est ibi loco sp̄ei. Dicemus, q̄ est ibi ipsa res visibilis, siue ipsū obiectū, & a quo gignitur actus videndi in ipso visu, quæ omnia possunt patere per August. lib. & cap. præ alleg. Sicut ergo ex parte intellectus non erat ibi medium situale, sic ex parte visus non est ibi medium, quod est species. Et si ponitur ibi species visibilis, illa species, vt est in organo visus, est ipsa visio, siue ipse actus videndi, quæ visio gignitur a re visibili, sicut intellectio, id est actus intelligendi gignitur a specie intelligibili, propter quod in visu loco speciei intelligibilis est res visibilis.

Adam in statu innocentie quomodo cognoscebat Deum.

Cum ergo quæritur: An Adam videbat Deū per essentiam in statu innocentie; Dicendum est quod non: Tamen respectu status miserie poterat dici videre Deum sine medio, quia in statu innocentie videbat Adam Deum, non per tot media, per quot videmus in statu miserie, nec videbat tunc Deum per ita pauca media, prout Beati vident Deum. Et ideo verificatur dictum Magistri in littera, quod cognitio, quam habebat Adam de Deo erat media inter cognitionem, quam habent Beati, & quam habemus nos puri viatores. Cognoscebat enim Deum non sicut nos, qui cognoscimus Deum per speculum, & in ænigmate, & per ea, quæ videmus in alijs creaturis, in quibus relucet Deus, ita quod ad videndum Deum requiritur medium speculari, vt ex hoc dicamur per speculum videre Deum. Sed Adam pro illo statu in seipso habebat inspirationes, & illuminationes a Deo, per quas cognoscebat Deum, prout Magister in littera tangit.

D V B. I. L A T E R A L I S.

An Beati duplici medio Deum videant. Conclusio est affirmatiua.

Medio quodam lumine supernaturali: & tuncque intelligendi, quem creat diuina essentia absque specie media.

D. Bon. d. 2. q. 3. ar. 2. q. 3. diffusissime Capr. d. 23. q. 2. Th. Arg. d. 4. Sent. d. 49. q. 2. ar. 1. & 2. Vide etiam D. Bon. in 1. Sent. d. 3. ar. 1. q. 3. ad 2. Arg.



Beati in patria an videant Deum per medium, vel aliquas illuminationes. Vide d. 17. q. 1. ar. 1. sub n. 1.

V L T E R I V S fortè dubitaret aliquis, quia dictum est, per pauciora Beati vident Deum, quam videret Adā. Ideo quæritur, quæ sunt illa media, per quæ Beati vident Deum, loquendo de medijs iam nominatis. Dicendum aliquos posuisse quatuor de illis medijs ponentes ad videndum Deum in patria medium speculari dicentes, q̄ Deus ipse in seipso non videtur in patria, sed in aliquo suo effectu ponentes quasdam theophasias, & quasdam illuminationes valde excellen-

A tes, in quibus videtur Deus, sicut Sol iste sensibilis sine lesione oculi nostri non potest videri a nobis in sua sphaera, sed videtur in illo splendore, & fulgore, qui procedit ab ipso: sic & Deus secundum istos non videtur in patria in seipso, sed videtur in aliquo fulgore, & splendore, qui procedit ab ipso, non q̄ hoc esset ex lesione aliqua, quæ caufaret Deus in intellectu nostro, sed excellentia diuinæ essentiae, quæ est quoddam pelagus lucis, & est lux quædam inaccesibilis, quam secundum Apostolum, nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Isti fortè ex verbo Apostoli moti dixerunt, quod illa tanta lux, sicut est diuina essentia, non videtur a Sanctis in patria, sed ab illa tanta luce deriuatur quidam excellens fulgor, quem vident Beati. Sed vt sæpè meminimus nos dixisse, hac opinione stante, Sancti in patria non essent Beati, quia non esset quietatum desiderium eorum, cum naturale desiderium sit, quod vidēs, vel cognoscens effectum, desiderat videre, & cognoscere causam. Sancti ergo videntes illum fulgorem, qui esset effectus Dei, nisi viderent ipsum Deum, non haberent quietatum intellectum, propter quod hoc dicere non debet reputari opinio, sed error.

Deus in se ipso non videtur. 1. Tim. 6.

Sunt ergo tres modi alij dicendi. Vt sit primus modus, quod ibi concurrat triplex medium etiam creatum. Videlicet medium confortatiuum, vt gratia consummata, vel lumen gloriæ, species intelligibilis, & actus intelligendi. Sicut ergo in his, quæ intelligimus naturaliter, concurrunt ibi triplex medium, lumen intellectus agentis, species lapidis, & actus intelligendi lapidem genitus ex illa specie: sic a Deo in patria deriuatur quædam species intelligibilis, a qua gignitur actus intelligendi Deum, & quia Deus est obiectum supernaturale, oportet quod sit in intellectu quoddam lumen supernaturale, & lumen gloriæ, in quo videmus lumen, quod est Deus. sed hæc positio stare non potest. Nam secundum Philosophum in 3. de Anima. in anima, vel sunt res, vel species. Si ergo ipse lapis, ponet esse in anima, non requireret ibi alia species lapidis, sed ipse lapis per seipsum caufaret actum intelligendi seipsum. Cum ergo ipse Deus sit in anima; non requiritur ibi alia species, sed ipse Deus per seipsum causat in intellectu nostro actum intelligendi seipsum. Ideo potest esse alius modus dicendi, quod ad videndum Deum in patria, non requiritur ibi nisi solus actus intelligendi, non quod inuenerimus aliquos hoc dicentes, sed dicunt aliqua, ex quibus hoc sequitur. Dicunt enim quod sic videtur Deus in patria ab intellectu beatorum, sicut videtur lux corporalis ab oculo, sed illud, quod imprimitur ab obiecto in oculo corporali, illa est visio, vt iam patet per August. si ergo lux ponitur tanquam obiectum visibile: illud quod caufabitur in oculo ab hoc obiecto erit ipsa visio, & si in videndo non requireretur medium situale: tunc non videtur nisi per vnum solum medium, scilicet actus videndi caufatus a luce, & non actus videndam lucem. Semper

Deus a Beatis in patria an videatur per sp̄em.

T. c. 31.

Deus in patria an videatur per medium, vel aliquas illuminationes.

Aegid. super ij. Sent.

Actus semper mediat inter obiectum, & potentiam.

Lux est forma coloris.

1. Tim. 6.

Lumen supernaturale necessarium ad videndum Deum.

* Habenti dabitur. quid. Matt. 23.

Mortuorum triplex differentia.

Beati in Patria vident Deum per duplex medium.

medium inter potentiam, & obiectum, quia semper potentia tendit in obiectum per actum. Ad videndam ergo lucem præter medium situale non requiritur ibi nisi unum medium, videlicet illud, quod causat lux in oculo, quod est ipsa visio lucis. Sed ad videndum colorem sunt ibi duo media, quia color non potest immutari visum, nisi secundum actum lucidi, & ideo non potest videri color, nisi tam lux, quam color immutent visum. Illud ergo quod causat lux in oculo, est actus videndi lucem, & est ratio videndi colorem: sed hoc est in virtute lucis, & mediante eo, quod in oculo causatur a luce: ut quantum ad actum videndi, lux est forma coloris. potest enim lux videri in se sine colore; sicut videtur ipse sol in se. Sed color non potest videri absque luce, quia color in tenebris non mutabit visum. sed hoc totum collor illuminatus poterit immutare visum. Sic etiam in proposito, cum Deus sit obiectum supernaturale: oportet, quod sit aliquod lumen supernaturale disponens, & confortans intellectum nostrum possibilem ad videndum Deum. lumen enim nostrum connaturale non sufficit ad videndum Deum, propter quod verificatur dictum Apostoli, quod Deum lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit: sed nec videre potest, verum est, constitutus in suis puris naturalibus: & nisi superadderet nobis lumen gratiæ consummata, vel lumen gloriæ, esset nobis inaccessibilis illa tanta lux, quæ est Deus, & ex hoc verificatur dictum Evangelij: * Habenti dabitur, & qui non habet, etiam quod habet aufertur ab eo, quod potissimè verificatur in morte valde bonorum, & valde malorum, quamvis non statim verificetur in morte mediorum. Illi enim dicuntur valde boni, qui statim post mortem volant ad patriam. Illi valde mali, qui statim mortui ad inferna descendunt. Illi mediocriter boni, & mediocriter mali, qui cum gratia decedunt, unde dicuntur boni, & aliquid purgandum habent, unde possunt dici mali. Valde ergo bonis habentibus gratiam dabitur statim perfectio gratiæ, ut statim videant Deum. Valde ergo mali non habentes gratiam in morte illud, quod habent, id est habilitatem ad gratiam, quam habuerunt quandiu vixerunt, quia nulli in hac via clauditur via salutis, aufertur ab eis, quia erunt obstinati post mortem, & de cetero non poterunt habere gratiam, nec habilitatem ad gratiam. Videbitur ergo Deus in Patria, mediante duplici medio, videlicet mediâ te quodam lumine supernaturali, & mediante actu intelligendi, quem creat divina essentia absque aliqua alia specie media in intellectu nostro ad intelligendam seipsam. Sicut ergo in visu corporali, si non esset ibi medium situale, color, mediante lumine, causaret in intellectu nostro visionem sui ipsius: sic divina essentia absque medio alio situale, quia est vicinior intellectui nostro, quam ipse sibi, mediante lumine supernaturali causat intellectui nostro actum intelligendi seipsam, differenter tamen, quia color videtur, mediante lumine ex imperfectione coloris,

A sed divina essentia videtur, mediante aliquo lumine creato, & mediante lumine gloriæ, non ex imperfectione, sed ex excellentia eius, & ex imperfectione nostra. * Est enim divina essentia tantæ excellentiæ, & quilibet creatura rationalis, vel etiam intellectualis est tantæ imperfectionis respectu eius, quod nisi perficeretur per gratiam consummatam, vel per lumen gloriæ, non posset ipsa divinam essentiam in seipsa, vel secundum suam essentiam videre.

B RESP. AD ARG. Ad primum dicendum, quod Adam videbat Deum in statu innocentie sine medio, non quod videret ipsam divinam essentiam in se, sed quia potissimus modus videndi, vel intelligendi Deum pro illo statu, non erat in Adam per creaturas alias, sed per revelationes, & inspirationes, quas habebat a Deo in seipso. Et adhuc etiam aliqui ex speciali gratia habent aliquas inspirationes, & aliquas illuminationes in seipsis, per quas possunt altiori modo cognoscere, quæ Dei sunt, quam possent quicumque Philosophi per ea, quæ possunt cognoscere de Deo per creaturas.

C Ad secundum dicendum, quod prout homo est ad imaginem Dei, nulla interponitur creatura, quia Deus fecit hominem ad imaginem suam immediate per seipsum, non per adiutorium aliquius creaturæ. Quilibet enim creatura spiritalis facta est ad imaginem Dei, ad cuius factionem, vel productionem: cum sit immaterialis, vel saltem non fiat ex materia præiacente, nulla creatura potest in hoc cooperari Deo. Sed ex hoc non sequitur, quod spiritalis creatura, sic immediate creata a Deo, videat Deum per essentiam: nisi hoc habeat a gratia consummata, vel a lumine gloriæ: Potest ergo adherere creatura spiritalis veritati divinæ immediate, dato quod non videat eam per essentiam, quia in hoc statu miseriam possumus adherere primæ veritati propter se, credendo omnia alia propter eam.

D Ad tertium dicendum, nihil est medium inter animam, & Deum, non est intelligendum quantum ad dignitatem, quia Angeli naturaliter sunt digniores, quam sint animæ. Nec intelligendum est quantum ad perfectibilitatem, quia charitas perficit voluntatem nostram, per quam coniungitur Deo, & fides in via, vel visio in patria perficit intellectum nostrum, per quam coniungemur Deo: Sed hoc potest intelligi quantum ad divinam operationem, siue illa divina operatio sit nostra creatio, siue nostra beatificatio, quia Deus per seipsum immediate animam nostram creavit, & per seipsum immediate eam beatificavit.

Ad quartum dicendum, quod quilibet sapiens cruciatur, si non habet quod debet habere pro eo tempore, quo debet habere. Sed insipiens esset filius Regis, si cruciaretur non habendo Regnum, vivente patre, cum illo tempore non debeat Regnum habere. Sic & Adam insipiens fuisset, si cruciaretur, non habendo visionem divinæ essentiae ante translationem ad gloriam, cum ante illud tempus hoc non debuisset habere.

Ad

* Vide Th. Arg. 4. Sent. d. 49. q. 2. art. 1. qui tenet, quod Homo absque lumine gloriæ divinam possit videre essentiam.

Creatura quæ potest immediate adhaerere divinæ veritati.

Medium autem sit inter animam, & Deum.

Adam quo
in statu in
nocentia im
peditus est
a visione di
uinæ essen
tiæ.

Ad quintum dicendum, quod duplex potest esse impedimentum, vel per modum contrarij, vel per modum simplicis negationis. Adam autem in statu illo innocentia non poterat impediri a visione diuinæ essentia per modum contrarij, ut quod haberet in se culpam, per quam priuaretur visione diuinæ essentia, vel quod in hoc esset in eo poena sibi infligta, quod non posset videre diuinam essentiam. Sed sicut vnus rusticus priuatur scientia Geometriæ, quia non habet ad hoc animam dispositam, vel habituatam: Sic & Adam priuabatur visione diuinæ essentia, quia ad gratiam consummatam, vel ad lumen gloriæ, propter quod videtur diuina essentia, non habebat adhuc animam dispositam simul habituatam.

ARTIC. II.

An Adam in statu innocentia habuerit fidem. Conclusio est affirmatiua.

D.Th. 2. 2. q. 5. ar. 1. Et de Ver. q. 18. ar. 3. Ric. d. 23. q. 6.



SECUNDO queritur vtrum Adam in statu innocentia habuerit fidem. Et videtur, quod non. quia Hugo de Sacra. primo lib. per 6. ca. 14. ait. Cognitoit ergo Creatorem suum non ea cognitione, quæ foris in auditu percipitur. Sed ea fortius, quæ intus per aspirationem ministratur. Cum ergo fides sit ex auditu, ut dicitur ad Romanos, videtur quod Adam cognoscens Deum, ex auditu non habuit fidem.

Rom. 10.

Præterea idem Hugo in eod. c. ait, quod non ea, qua Deus modo a credentibus absens fide inuenitur. sed ea, qua tunc per præsentiam contemplationis Adæ scientia manifestius cernebatur. sed ista videntur opposita Deum cognoscere per fidem, quod est per enigmationem, & in ænigmatate, quod spectat ad fidem, & cernere ipsum manifestè per præsentiam, & per contemplationem, quod tunc competeat Adæ. Videtur ergo, quod Adam pro illo statu fidem non habuerit.

Præterea fides non solum est de Deo Creatore, sed etiam de Deo Redemptore, sed pro illo statu Adam non poterat habere fidem de Deo Redemptore, quia non erat præsciis sui casus, ergo &c.

Præterea cognitio fidei est ænigmatica, sed Adā pro illo statu non habeat cognitionem de Deo ænigmaticam, id est obscuram, ergo &c.

Hebr. 11.

IN CONTRARIUM est Apostolus ad Hebreos: Sine fide impossibile placere Deo. sed Adam pro illo statu placebat Deo, ergo habebat fidem.

Præterea Apostolus eod. cap. ait, quod accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Sed hoc est habere fidem. cum ergo Adam pro illo statu

potissimè accederet ad Deum, ergo pro illo statu habebat fidem.

R E S O L V T I O.

Adam in statu innocentia aliquam habuit fidem, cum felicitatis habuerit inchoationem.

RESPONDEO dicendum, quod semper fides est ex auditu. Nam cum fides sit de his, quæ sunt super rationem, & illa non possunt sciri nisi ex auditu: oportet, quod semper fides sit ex auditu. Sed cum videamus in statu præsentis miseria triplicem auditum: vnum, quem habet Prophetæ: aliū, quem habent Doctores: tertium, quem habent simplices, cogimur per ea, quæ videmus secundum omnem huiusmodi auditum ponere esse fidem. Prophetæ ergo habent fidem per inspirationem, & per ea, quæ audiunt a Deo in seipsis, iuxta illud Psalm. Audiam quid loquatur in me Deus. Doctores autem habent fidem per ea, quæ audiunt a Prophetis, vel per ea, quæ leguntur scripta ab eis. Nam idem est legere scripta ab aliquo, & audire illa ab eo. Propter hoc enim fiunt libri, ut qui non possunt aliquid audire ab ore nostro proferente, legant, nostro calamo scribente. Prophetæ ergo habuerunt fidem a Deo inspiratam, vel habuerunt a Deo auditam. Doctores autem credentes illis, quibus locutus est Deus, habuerunt fidem ab eo inspiratam, vel pronunciatam. huic veritati firmiter adherentes habent fidem a talibus prolatam. Ideo ex testimonio Scripturæ sacræ, quam scripserunt Spiritus Dei inspirati Sancti Dei homines, Doctores accipiunt argumenta articulorum fidei, & eorum, quæ debent credere. Scriptores ergo Sacri canonis habuerunt fidem ex auditu Dei. Doctores habuerunt fidem ex prolatione, & auditu scribentium Scripturam sacram. Simples vero homines habent fidem ex his, quæ audiunt a Doctoribus, vel ex his, qui referunt dicta Doctorum.

Fides ex auditu. Rom. 10.

Auditus triplex.

Fides Prophetarum, Doctorum, & simplicium quomodo ex auditu. Psal. 14.

2. Pet. 1.

Adā in statu innocentia quo habuit fidem ex auditu.

Adam ergo in illa excellentia constitutus fidem habuit, non ab his, quæ audiebat ab homine. Sed ex his, quæ audiebat a Deo. Nam sicut Deus a sui primordio impressit Adæ scientiam eorum, quæ cum competeat scire naturaliter, ut dicit Magister in littera, quam scientiam Philosophi etiam non ex infusione, sed ex exercitio habuerunt; sic ipse Adam per reuelationem, & per inspirationem habuit a Deo cognitiones eorum, quæ pertinent ad fidem, & quæ competeat cum scire supernaturaliter. Ex auditu ergo habuit fidem, non ex auditu exteriori, sed interiori.

Possumus autem, si volumus, aliqua argumenta conuenientia adducere, quod Adam in statu innocentia fidem habuit, ut sit primum argumentum ex actu fidei. Secundum ex fine fidei. Tertium ex eo, unde generatur fides. Primum sic patet. Nam actus fidei est credere primæ veritati non visæ. quia fides secundum Aug. est credere, Aegid. super ij. Sent. V 3 quod

Fidei actus.

quod non videt. Cum ergo Adam pro illo stat u
nō videret Deum, vel ipsam diuinam essentiam,
& haberet inspirationes a Deo de his, q̄ debebat
credere, quia secundum Magistrum in littera, Adā
habuit cognitionem Dei, non sicut Deus absens
quæritur, sed quadam interiori aspiratione, qua
Dei præsentiam contemplabatur. Non ergo loq
tur ibi Magister de cognitione Dei, quæ potest
haberi naturaliter, quia hāc cognitionem habuit
Adam a sui formatione. Loquitur ergo de cogni
tione, quam habuit Adam per aspirationem. i. p
inspirationem, & reuelationem. Cum ergo talia
sint de supernaturalibus, & de his, quæ sunt cre
denda, concludere possumus, quod Adam fidem
habuerit accipiēdo articulum, ex ipso actu fidei,
qui est credere primæ veritati nō visæ de his, quæ
sunt supra rōnem. Hoc autem fuit in Adam, vt p̄
patere per habita, ideo possumus concludere ip
sum habuisse fidem.

Secunda rō ad hoc idem potest sumi ex fine ip
sius fidei. Fides enim est inchoatio illius æternæ
vitæ. Ideo dī ad Hebr. 11. q̄ fides est substantia
rerum sperandarum argumentum non apparen
tium, quod dictum continet perfectam definitio
nem fidei. Describitur enim in præfatis verbis fi
des quantum ad tria. Quantum ad habitum, cū
dī, q̄ est substantia. Quantum ad obiectum, cum
dī rerum sperandarum. Quantum ad actum, cū
subinfertur argumentum non apparentium. Sub
stantia enim stat ibi pro substat, vel sustentare:
Sicut habitus substat rebus sperandis, & sustentat
eas, quia p̄ habitum fidei speramus remunera
tionem recipere: Ideo Apostolus in eodem cap.
vt supra tetigimus ait: Accedentem ad Deum,
oportet credere, quia est, & q̄ remunerator est in
quirentibus se. Fides ergo est fundamentum, &
sustentamentum rerum sperandarum: Ergo sub
stantia stat ibi pro ipso habitu fidei, quia sicut sub
stantia substat, & sustentat alia, quæ adueniunt
substantiæ: Sic habitus fidei substat, & sustentat
ea, quæ nobis speramus adueniri a Deo. Ideo in
oratione Dominica dicimus: Adueniat, idest ad
nos veniat regnum tuum. Sed rerum speranda
rum stat ibi tanquam obiectum. Nam sicut habi
tus tendit in obiectum: Sic per fidem tendimus in
res sperandas. Verum quia fides est virtus theolo
gica, & virtutes theologice idem hnt p̄ obiecto,
& sine, est res speranda, quæ est obiectum fidei, &
ē finis fidei. Nam res nobis speranda est Deus,
quia non seruimus Deo principaliter, nisi pro
pter seipsum. In ipsum enim credimus, & in ip
sum credendo ipsum speramus. Iuxta illud, quod
dixit Deus Abraham: Ego merces tua magna ni
mis. Sed argumentum non apparentium stat ibi
pro actu fidei. Nam sicut per argumentum quis
assentit alicui veritati, & ex hoc asserit veritatem
illam: Sic per fidem assentimus veritati primæ, &
asserimus eam. Ergo argumentum potest ibi
stare pro assentire, vel pro ipso asserere, quod
est actus fidei. Quod verò ibi additur, non appa
rentium; additum est ad specificandum actum
fidei: quia non quodlibet assentire est actus fi
dei. sed assentire rebus non apparentibus, & nō

visis, spectat ad actum fidei. Propter quod alia
translatio: vt Glo. tangit, vbi nos habemus argu
mentum, habet: conuinctio. quia per fidem con
uincimur, vt assentiamus primæ veritati nō vi
sæ, vel non apparenti. vt quia sic assentire est
actus fidei; ideo in diffinitione præfata, argumen
tum non apparentium, potest dicere actum fidei.

Reuertamur ergo ad propositum, & dicamus,
quod cum res sperandæ, & illa gloria, quam spe
ramus, sint finis fidei, & obiectum, & si non sub
hac ratione: tamen secundum rem ipse Deus
est, quem credimus per fidem, erit gloria no
stra, & merces nostra. Cum ergo Adam inchoa
uerit tantam felicitatem vitæ, per quam poterat
non mori, & si stetisset, translatus fuisset ad am
plio rem felicitatem, per quam non potuisset mo
ri, vt potest patere per August. 14. lib. de Ciuit.
Cogimur ergo dicere, quod ipse habuit quan
dam inchoationem illius felicitatis perfectæ, cū
hoc non possit esse sine fide, quia sine fide impos
sibile est placere Deo. Ideo ex ipsa felicitate per
fecta, quæ est finis fidei, possumus concludere
Adam habuisse fidem.

Adam ha
buit quan
dam inchoa
tionem per
fectæ felici
tatis.

Tertia ratio ad hoc idem sumi potest ex his,
ex quibus generatur fides. Possumus enim dice
re, quod principium fidei de necessitate fuit per
inspirationem. Ideo Apostolus cum numerat or
dinem eorum, quæ sunt in Ecclesia, primo ponit
Apostolos, secundo Prophetas, tertio Docto
res, postea genera linguarum. Nam Prophetæ di
cuntur habentes a Deo, quæ sunt fidei per inspi
rationem. Doctores quia Prophetis, & a lege
sumunt, quæ dicunt, & docent alios, vel ver
bis, vel scriptis, vel vtroque modo. Genera au
tem linguarum ad litteram in Ecclesia primitiua
erat quoddam donum Spiritus sancti, quia ali
qui tunc per infusionem habebant scientiam di
uersarum linguarum. Iuxta illud Apostoli: Gra
tias ago Deo meo, quia omnium vestrum lin
guam loquor. Hoc autem donum dabatur in Ec
clesia tunc ad instruendum alios in fide. Pro
pter quod genera linguarum potest referri ad
prædicatores, & ad eos, qui instruunt alios in fi
de. Principium ergo, vbi incepit generari fides,
fuit prophetia, vel inspiratio. Et quia Adam,
vt patet per Magistrum in littera, vt supra decla
rauimus sæpè sapius habebat illuminationes, &
inspirationes diuinas, omnino credibile est illas
inspirationes posissimè fuisse de his, quæ sunt fi
dei: nam de his, quæ sunt scientiæ, quæ possumus
scire ductu rationis, habuit Adam per infu
sionem a sui productione. Statim enim produ
ctus habuit plenitudinem talis scientiæ, vt in se
quenti quæstione patebit. Inspirationes ergo il
læ erant de his, quæ sunt supra rationem, & de
his, quæ sunt fidei.

Eph. 4.

Linguarū
donum in
primitiua
Ecclesia. 1.
Cor. 12. &
13. idem fe
rē supra d.
22. q. 1. ar. 2.

D

Hebr. 11.

Fidei perfe
cta definitio.

Hebr. 12.

Oro Dñica.

Gen. 14.

RESP. AD ARG. Ad primum dicendum,
quod Adam non cognouit ea cognitione Crea
torem suum, quæ foris auditur, quia non ha
buit fidem per auditum exteriorem, sed per
auditum interiorem, & per inspirationem.

Ad secundū dicendū, q̄ Adā nō habuit cognitio
nē de Deo eo mō, quo a credentibus absens fide
inuenitur

inuenitur, sed per præsentiam contemplationis, prout manifestius cernebatur. sed ex hoc non habetur, quod nullo modo habuerit fidem: sed quod non habuerit fidem per auditum exteriorem, sed per auditum interiorem, & per reuelationem interiorum, in qua manifestius, & clarius cernebat, quid credendum esset de Deo, quam habentes fidem ex solo auditu exteriori.

Ænigmatica cognitio habet gradus.

Ad tertium dicendum, quod licet fides sit cognitio ænigmatica, respectu cognitionis patriæ: tamen ea, quæ sunt fidei, aliqui cognoscunt clarius, aliqui minus clare, aliqui cognoscunt ea per ea, quæ sunt eis reuelata interiorius. Aliqui per ea, quæ audiunt exteriorius, ut ex hoc comparatiue aliqui dicantur scire præfata magis ænigmatica, & magis obscura. Aliqui minus ænigmaticè, & magis clare. Aliqui magis per absentiam, ut non habentes reuelationem in seipsis. Aliqui magis per præsentiam, ut habentes reuelationes præfatas.

Tomo 5.

Adam de Christo in sopore multa cognouit.

Ad quartum dicendum, quod fides est de redemptione, ratione peccati Adæ, post peccatum nullus fuit saluatus, nisi in fide Redemptoris, ut potest haberi ab Aug. in de Ciui. Dei. Sed si Adam non peccasset, fidem habuissimus de Deo Creatore, & Glorificatore nostro: sed non habuissimus fidem de Deo redemptore, cum redemptio respiciat præcedentem culpam. Nec talem fidem oportuit habere Adam, quia non fuit præsciens sui casus. Vel possumus dicere, quod in illo sopore, ut videtur Magister tangere in Historijs, Adam interfuit celestis curiæ, & multa fuerunt tunc sibi reuelata, & prophetauit tunc, ut tangit Magister, de coniunctione Christi, & Ecclesiæ, & de diluuiio futuro, & de iudicio per ignem, quæ postea suis posteris reuelauit. Et si prophetauit de Christo, ergo habuit fidem de Deo incarnando, qui est Redemptor noster, licet forte non habuerit sub hac ratione, qua Redemptor noster.

ARTIC. III.

An Adam omnium rerum creaturarum habuerit cognitionem.

Conclusio est affirmatiua.

D. Th. 1. p. q. 91. art. 3. Et de Ver. q. 18. art. 2. & 4. Et 2. sent. d. 23. q. 2. art. 2. Ric. d. 23. q. 7. Biel d. 23. q. 1.



TERTIO queritur, utrum Adam habuerit cognitionem omnium rerum creaturarum. Et videtur, quod non: quia secundum Ansel. qualis fuit Adæ, tales filios generasset. Dato tamen, quod Ansel. hoc non diceret, propositio de se est probabilis, & rationalis. sed filij Adæ, ut supra dicebatur, non habuissent perfectam scientiam rerum: ergo &c.

Tomo 3.

Præterea videtur velle August. 8. super Gen. quod positus est Adam in paradiso ad habendam experientiam de naturis rerum, sed per experientiam adipiscitur scientia rerum: ergo &c.

Præterea secundum Damasc. lib. 2. c. 11. lignum deditur cognitionis boni, & mali: quia virtutem cognitionem dabat accipientibus. ergo ante gustum illius ligni non habebat perfectam cognitionem rerum, cum per illud lignum posset accipere aliquam cognitionem de rebus.

Præterea secundum Philosophum in 3. de Anima, intellectus noster in sui primordio est sicut tabula rasa, in qua nihil est pictum. Adam ergo in sui primordio non potuit habere scientiam rerum, cum in intellectu eius nihil esset scriptum.

Anima tabula rasa. 3. de anima, c. 14.

Præterea dantur nobis sensus ad acquirendam scientiam: ergo si Adam in sui primordio fuisset perfectus scientia, non indignisset sensibus saltem ad acquirendam scientiam, quod, ut patebit, falsum est dicere.

B

Præterea perfectio non est possibilis additio sed, ut habitum est, Adæ multa reuelabantur, & habebat sæpè sæpius illuminationes: ergo non erat perfectus in scientia.

IN CONTRARIUM est Hugo de sacram. lib. 1. par. 6. cap. 14. ubi ait, rerum visibilium omnium, quæ cum homine, & propter hominem factæ erant, perfectam cognitionem hominem accepisse, nulli dubium esse debet.

Adam rerum omnium cognitionem accepit.

Præterea, nisi habuisset perfectam cognitionem rerum, per quam posset peccatum vitare, non debuissent sibi imputari peccata, quod à conditione illius status omnino debet dici fuisse alienum, quod Deus fecisset hominem talem, quod sibi peccata imputari non deberent.

C

R E S O L V T I O.

Adam in sui creatione omnium naturalium habuit cognitionem, ut patet ex parte Adæ, qui fuit in perfecta ætate creatus: eiusque filiorum, qui ipso, tanquam Patre, & Doctore indiguerunt: & ex parte Dei, cuius perfecta sunt opera. Eorum autem, quæ per fidem habentur, non item.

RESPONDEO dicendum, quod, ut patet ex auctoritate Hugonis, homo à sui primordio omnium visibilium rerum factarum, cum ipso, & propter ipsum perfectam cognitionem accepit. Sed huic sententiæ videtur Aug. 8. super Gen. Aliquo modo obuiare, ubi videtur velle, quod Deus dedit rationem homini, & loquitur ibi de primo homine, ut eius ratio cum earum rerum natura quodam modo loqui posset. Ponit enim exemplum de feminibus, de plantis, de alijs infertis. Vult enim quod ratio primi hominis, & ratio filiorum suorum loquebatur cum naturis rerum, quomodo ex feminibus fiunt arbores, folia, & fructus: quomodo fiunt arbores non solum ex feminibus, sed etiam per plantationem, & per infertionem: ut plantare sit, quando arbor de vna terra transfertur in aliam. Inferere verò quando ramus de vna arbore incisus in alia inseritur. De omnibus ergo his loquebatur ratio Adæ cum naturis rerum, & propter hoc secundum eum fuit data homini ratio.

Tomo 3. Rō cur homo mini a Deo data.

Imaginatior postea Aug. quod totus mundus sit quædam magna arbor, cum qua per rationes seminales,

Mundus est tanquam quædam arbor magna.

minales, & per actiua, & passiua, quæ videt homo in tali arbore: loquitur ratio de naturis rerum, sed per tale loqui, homo addiscit naturas rerum: ergo si ipsi Adæ fuit data ratio, vt hoc modo per rationem loqueretur cum arboribus, & cū mundo de naturis rerum: videtur, qd non fuerit productus perfectus in scientia, sed qd fuit productus cum ratione ad acquirendam scientiam.

Arbores
fructib⁹, &
feminibus
priorib⁹.

Scientiarū
femina ex
1. Post. t. 6.
& 24.

Arist. 4. Me-
taph. tex. c.
28. & 1. Pos-
t. t. 26. 27.

Aues ouis:
& Arbores
feminibus
priorib⁹. Vi-
de id fufius
dist. 13. q. 2.
art. 2. dub.
2. lateralē.

Vt ergo tales, & similes obiectiones, & contra-
dictiones possimus soluere, oportet nos multi-
pliciter distinguere de scientia, & de cognitione
nostra. quia, vel est rerum naturalium, vt appella-
mus scientiam naturalium, quam ex puris natu-
ralibus, siue aliquo dono supernaturali possumus
acquirere. Nam sicut fuit in productione rerum,
qd res fuerunt factæ, sic fuit in Adā. Non enim fuerit
primò facta semina, sed primò fuerunt factæ arbo-
res, & postea ex arboribus facti sunt fructus, & se-
mina, ex quibus fieri poterant arbores, vel ex qui-
bus generatæ sunt aliæ arbores. In semine ergo,
secundū Aug. latet tota arbor, quicquid esse vide-
mus in arbore, vt stipitem, ramos, & folia, & fru-
ctus, totū fm Aug. latebat in thesauro seminis.
& ea, quæ videmus in arbore, & in feminibus, vn-
de sunt arbores, est reperire in scientia, & in semi-
nibus, unde generatur scientia. Semina enim, vn-
de scientia, vel scientiæ generantur, sunt principia
prima, quæ vocamus dignitates, & sunt illa, quæ
quilibet probat audita, de quibus ait Philos. quod
principia cognoscimus, in quantum terminos co-
gnoscimus. propter quod si sciamus quid impor-
tatur per istum terminum, siue per istam dictio-
nem, totum, & quid per partem, statim intelligen-
mus, & intelligendo assentiemus, qd omne totum
est maius sua qualibet parte. & si intellexerimus
quid importatur per affirmationem, & quid per
negationem, statim assentiemus isti communissi-
mo principio, quod de quolibet est affirmatio,
vel negatio vera, Ista ergo principia sunt semina
omnium scientiarum. Sicut ergo arbores produ-
cuntur ex feminibus, & omnia, quæ sunt in arbo-
re, latent prius in thesauro seminis: sic omnia, quæ
sunt in scientijs, producuntur ex talibus, vel ex si-
milibus principijs, tanquam ex quibusdam semi-
nibus: & quæcunque sunt in scientijs, prius late-
bant in thesauro talium seminum. Sicut ergo prius
fuit producta arbor, & ex arbore semen, sicut &
prius fuerunt productæ aues, & ex auibus oua: sic
prius fuit productus homo perfectus in scientia,
& cum perfecta scientia, nunc autem producun-
tur homines, nō cum scientia, sed cum feminibus
scientiæ. Dicuntur autem produci nunc homines
cum feminibus scientiæ: non qd in intellectu ho-
minis in suo primordio sit aliquid perfectum, cū no-
ster intellectus sit tanquam tabula rasa: sed quia
homo nascitur cum lumine intellectus agētis, in
quo lumine sunt sufficienter omnia præfata prin-
cipia nota, quæ sunt semina omnium scientiarum.
Ideo dicitur quilibet homo nasci cum feminibus
omnium scientiarum, quæ possunt ductu rationis
acquiri. Scientiam ergo, quam nunc nati habent
in seminibus, primus homo habuit in seipsa.

Cum ergo quæritur, vtrum homo fuerit pro-

A ductus perfectus in scientia; patet, qd fuerit pro-
ductus perfectus quantum ad scientias, quas pos-
sumus ductu naturalis rationis acquirere: quia si-
cut primo productæ fuerunt arbores, quarū est
generare semina: sic prius fuit productus homo
perfectus in scientijs, ex quo nunc nascuntur ho-
mines non cum scientijs, sed cum feminibus sci-
entiarum. Sed si loquimur de scientia, quæ ductu ra-
tionis acquiri non potest, sed est supra rationem:
cuiusmodi est scientia de Deo, & de secretis Dei,
in tali scientia non fuit productus perfectus: sed
per inspirationes internas, & per reuelationes si-
bi factas, homo de talibus accipiebat scientiam.
Sicut autem distinximus de scientia secundum ra-
tionem habita, & supra rationem: sic & de ipsis
scientijs secundū rationē possumus distinguere,
quia quædam sunt scientiæ essentialiter, & quædā
non. Scientiæ autem essentialiter dicuntur, quæ
sunt propter ipsum scire, & hæc non sunt, nisi tres:
Naturalis, Mathematica, & Metaphysica. & ideo
dicit Philos. in 6. Metaph. quod tres sunt modi
essentiales Philosophiæ. Physicus. i. Naturalis:
Mathematicus, & diuinus. i. Metaphysicus. Possu-
mus autē dicere Adam in istis scientijs fuisse per-
fectū, quod patet ex impositione nominū. Nā *
imponere nomina nominibus, vt, qd tale nomen
vocetur nomen, & tale verbum, & sic de alijs, spe-
ctat ad Grammaticum. & imponere nomina in-
tentionibus, & qd hoc vocetur species, & illud ge-
nus, fortē spectat ad Logicum. Imponere tamen
nomina rebus generaliter spectat ad Metaphysi-
cum. Ideo in 5. Metaph. tractatur de impositione
C nominum, vel de nominibus rerum, vt quid im-
portetur nomine totius, & quot modis dicitur
totum, quid nomine perfecti, & quot modis dici-
tur perfectum, quid nomine potētiae, & quot mo-
dis dicitur potentia, & sic de alijs, & licet hoc fa-
ciat Metaphysica generaliter: quælibet tamē sci-
entia his, de quibus determinat specialiter, pōt spe-
cialia nomina imponere, ideo naturalis scientia po-
test naturis rerum, de quibus considerat, specia-
lia nomina imponere. Adam ergo nominādo om-
nia generaliter, ostendit se habere scientiam Me-
taphysicam: & descendendo ad speciales, & natu-
ras animalium, & dando eis specialia nomina, cū
nomē debeat esse consonum naturæ rei, ostendit
se habere scientiam naturalem, & quia, siue ascē-
datur, siue descēdatur ab extremo in extremum,
itur per medium: cum Metaphysica inter scientias
humanas secundum abstractionem teneat gradū
supremum: Physica infimum, Mathematica me-
dium: satis est probabile, quod si per infusionem
habuit Metaphysicam, & Physicam, qd habuerit
Mathematicam.

Et quod dictum est de his, quæ sunt scientiæ
essentialiter, possemus ad alias scientias adapta-
re. & quia hoc nimis longum esset, stabimus in
hoc dicto generali, qd Adam fuit productus per-
fectus in scientijs, quæ possunt ductu rationis ac-
quiri. quod triplici via probare possumus. Vt pri-
ma via sumatur ex parte ipsius Adæ. Secunda ex
parte filiorum, vel posterorum eius. Tertia ex
parte ipsius Dei.

Homo an a
sui primor-
dio scientiæ
naturalis ac-
ceperit.

Scientiæ
speculatiuæ
tres tex. c. 1.

* Nominū
impositio ad
Grammati-
cū, ad Logi-
cū, & Me-
taphysicum
spectat di-
uersimodē.

Adā creatus
est perfectus
in omnibus
scientijs, quæ
ductu ratio-
nis acquiri
possunt.

Prima via sic patet: quia omnino incredibile est, quod Deo plus fuerit cura de corpore Adæ, quam de anima eius. quia ergo Deus produxit corpus Adæ secundum illam totam perfectionem, quam potuisset acquirere naturaliter, quia fuit factus in ætate perfecta, & secundum corpus perfectum, multo magis credibile est, quod Deus infudit sibi animam non solum cum feminibus scientiarum, sicut infunditur nunc cuilibet homini, sed secundum omnes illas scientias perfectas, quas potuisset acquirere ex talibus feminibus, siue ex talibus principijs, propter quod ex ipso Adam, sciendo qualiter fuit factus perfectus, quantum ad corpus, possumus habere viam ad sciendum qualiter fuit factus perfectus quantum ad animam.

Secunda via ad hoc idem potest summi ex parte filiorum, & posterorum Adæ. Nam ipse Adæ fuit factus tamquam principium omnium aliorum hominum: & quia a parentibus non solum recipimus esse, sed etiam disciplinam: propter quod una causa, quare matrimonium debet esse indissolubile, potest esse disciplina, quam debent patres filijs. Nam quia filij toto tempore eorum indigent disciplina, toto tempore eorum debent coniuges simul conuiuere, ut toto illo tempore possint filijs suis disciplinam tribuere. Adam ergo formatus, ut Pater, & per consequens, ut Doctor omnium posterorum, debuit plenus scientia, & etiam perfectus scientificus esse productus.

Tertia via potest sumi ex parte ipsius Dei. Nam cum Dei perfecta sint opera, non decuit eum, quod Adam, quem proprijs manibus formarat, formatum ret ipsum imperfectum saltem secundum perfectiones, quas poterat naturaliter acquirere, & quia tales sunt scientiæ, de quibus loquimur, formatus fuit perfectus, quantum ad tales scientias.

Quamuis ergo sufficienter questio proposita sit soluta: tamen propter argumenta sic distinximus de scientia: quia est scientia naturalis, & supernaturalis: sic possumus distinguere de modis, scientiæ, quia potest fieri scientia multis modis: per experientiam, & per infusionem. Habentes ergo scientiam per infusionem possunt ad huc habere scientiam aliam per experientiam, experiendo, an sic sit in rebus, sicut se vident habere scientiam in anima. Nam non solum in scientia infusa, sed etiam in scientia habita per doctrinam, vel per acquisitionem, potest quis scire sic esse, & non habere experientiam de illo, sicut potest Astronomus scire tali die esse futuram eclipsim, quo scito, vult experiri sensibiliter, utrum illa die sit illa eclipsis. Et potest quis scire, quod omne rebarbarum purgat coleram, & tamē vult experimento experiri, an sic sit, sicut per suam doctrinam didicit. Adam ergo per infusionem perfectus fuit in scientia, & in scientijs: sed nondum perfectus de eis poterat, quod sciebat habitu, etiam per experientiam scire, & hoc modo potuit in scientia proficere.

Et sicut distinximus de modis scientiæ, quia poterit haberi scientia per infusionem, vel propter acquisitionem, & experientiam: sic possumus distinguere de habilitate scientiæ, quia quantumcunque habeamus habitum scientiæ, tamen quantum

magis frequentamus considerare secundum illum habitum, tanto magis habiles sumus ad hoc agendum. Poterat ergo Adam crescere, & augmentari in scientia non solum quantum ad experientiam, sed etiam quantum ad habilitatem: quia quantum magis considerabat secundum habitus sibi infusos, tanto magis habilitabatur ad agendum secundum illos habitus.

RESP. AD ARG. Ad primum dicendum, quod filij non simulantur patribus: vel non oportet, quod eis simulentur quantum ad personalia, sed quantum ad naturalia. immo si sunt merè personalia ex opere personæ acquisita, nunquam simulantur filij patribus, quia Grammaticus nunquam generabit Grammaticum. Quod ergo Adam fuit productus perfectus in scientia, hoc potest dici fuisse personale: quia sibi soli hoc competeat, quod esset Pater, & principium omnium aliorum, & ex hoc esset Doctor eorum, quod sine scientia fieri non poterat.

Ad secundum dicendum, quod dictum Aug. non contradicit nobis. Concessimus enim, quod quantum ad experientiam poterat Adam augmentari in scientia.

Ad tertium dicendum, quod, ut patet per Magistrum in distinctione illa, ubi agit de illo ligno, Lignum illud dicebatur scientiæ boni, & mali: quia Adam de illo ligno experimentum didicit, quid interesset inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ, & secundum scientiam experimentalem, diximus Adæ potuisse proficere: etsi non proficisset secundum illam scientiam experimentalem, & non didicisset experimentaliter, quid interesset inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ, melius fuisset sibi. Nam illud non fuit proficere secundum scientiam, sed magis deficere.

Ad quartum dicendum, quod intellectus nascitur sicut tabula rasa quantum ad scientiam per acquisitionem: sed potest nasci, ut tabula scripta, & picta quantum ad scientiam per infusionem, & hoc modo Adam fuit productus perfectus secundum scientiam, non secundum scientiam acquisitam, sed infusam.

Ad quintum dicendum, quod sicut patet per Philosophum in Metaphysica, dati sunt nobis sensus propter duo. propter necessitatem vitæ, & propter scientiam. Possumus autem & nos addere tertiam causam, quod dati sunt nobis sensus propter perfectionem naturæ. Propter autem omnia ista dati fuerunt sensus Adæ. dati enim fuerunt ei propter necessitatem vitæ. nam omnes sensus deseruiunt nobis ad nostrum vivere. Nam indigemus videre cibum, si sit mundus: odorare ipsum, si sit boni odoris. gustare lingua, si sit boni saporis. tangere tactu quantum ad manum, & quantum ad guttur. Indigemus etiam auditu, ut loquamur de eo, & nobis bene pareatur, & increpare non bene parantem: quia, quæ oportet seruum facere, hoc secundum Philosophum in Politico, oportet dominum scire præcipere. Secundo fuerunt dati sensus propter scientiam, saltem quantum ad experientiam. Tertio fuerunt dati sensus Adæ propter imperfectionem naturæ: quia, si non indignisset alimentis, etsi non indignisset sensibus propter scientiam, non tamen fuisset pro-

Filij Patribus quō similes.

Lignum scientiæ boni, & mali vnde sic dictum.

Sensus homini cur dati. 1. Met. 1.

Dominus debet scire præcipere. 3. Pol. c. 7.

Matrimonium quare debeat esse indissolubile.

Scientia duplex.

Scientiæ acquirendæ modus.

Scientiæ habilitas unde. 2. Ethic. c. 1. 2.

set productus cæcus, nec carens alijs sensibus: A quia fuisset corpus turpe, & imperfectum.

Ad sextum dicendum, quod argumentum arguit de imperfectione scientiæ supernaturalis, secundum quam fiebant sibi reuelationes.

ARTIC. IIII.

An Adam in statu innocentie decipi potuisset. Conclusio est negativa.

D.Th. 1. p. q. 94. art. 4. Et 2. sent. d. 23. q. 2. artic. 3. Et de Ver. q. 18. art. 6. D. Bon. dist. 23. art. 2. q. 2. Ricar. dist. 23. q. 2. Dur. dist. 23. quæst. 3.



VARTO quæritur: vtrum pro illo statu Adā potuisset decipi. Et videtur, qd sic. quia, vt patet per habita, licet mulier fuerit magis decepta, q̄ vir, ratione cuius dicitur mulier seducta, & non vir, vterque tamen aliquo modo fuit deceptus: ergo &c.

Præterea ait Magister in littera. xx. dist. qd mulier non horruit serpentē: quia sciebat ipsum esse creatum à Deo, & credebatur officium loquendi accepisse à Deo. Cum ergo hoc esset falsum, ergo hoc credens fuit decepta.

Præterea, quando sensus nunciat hoc sensibile aliquod aliter, quam sit, decipitur. Sed remus cum est partim in aqua, partim in aere, tunc partem illam, vbi coniunguntur aer, & aqua, aliquando videtur fractus, vel plicatus, cum non sit. Sic etiam si eleuetur alter oculorum, vna res videbitur duo, cum non sic sit, & videbitur res alibi esse, quam sit. Et à remotis color rubeus in parua quantitate iuxta album positus videtur niger, & si supponatur digiti, & inter eos ponatur aliquod paruum corpus rotundum, videbitur esse duo. Et si speculum sit de calibe, qd penetrari non possit, poterit videri imago faciei vltra speculum, cum tamen ibi non sit: quia vltra speculum transire non potest, quæ omnia sunt quædam deceptiones: ergo &c.

Sensus in
multis decipitur.

Speculi de
calibe.

Tomo 3.
c. 9.

Præterea constat, quod Adam in illo statu nesciebat secreta cordis, nec sciebat futura contingentia, sed quilibet potest decipi in his, quæ nescit: ergo &c.

IN CONTRARIUM est Aug. in Enchiridion, qd rationalis natura refugit fallitatem, & quantum potest, euitat errorem, sed nihil in illo statu contigisset Adā inuito: ergo nec error, nec falsitas, nec deceptio poterat ei contingere.

Præterea istæ sunt quædam pœnæ inflictæ nobis propter peccatum: ergo antequam primi Parentes peccassent præfata eis minimè euenire potuissent.

RESOLVTIO.

Adam in statu innocentie, ratione originalis iustitiæ, diuinæq̄, prouidentie, decipi non potuisset.

RESPONDEO dicendum, qd deceptio im-

portat plus, quam nescientia, vel ignoratiā. Nam nescientia solum dicit defectum scientiæ: & quia omnis creatura est defectibilis, in omni creatura potest esse aliqua nescientia: propter quod in ipsis Angelis est nescientia aliqua, cum superiores illuminant inferiores, quod faciendo secundum Dionys. purgant eos à nescientia. & sicut in inferioribus est aliqua nescientia, quæ purgatur per illuminationem factam à superioribus, sic in superioribus est aliqua nescientia, quæ purgatur per illuminationem factam à Deo. talis ergo nescientia poterat esse in Adam, vt supra tangebatur.

Nescientia
in Angelis,
& in omni
creatura.

Sed ignorantia, & multo magis deceptio in eo esse non potuerunt. Nam hæc est ignoratiā, cum quis nescit ea, quæ competunt eum scire: sed, vt patet ex quæstione præcedenti, Adam fuit perfectus in scientia, quantum ad ea, quæ eum compete-
B tebat scire pro illo statu. Nam non fuit productus Adam in seminibus scientiarum, sicut nunc producuntur homines, sed fuit productus sciētificus perfectus, vt posset esse sufficiens Doctor omnium posterorum: propter quod nulla ignoratiā in ipso locum habere poterat, & multo magis nulla deceptio, cum deceptio ex ignoratiā causaretur. Nam hoc est decipi, dare falsum iudicium de aliquo, quod scientibus, secundum qd huiusmodi, non potest competere, iuxta illud Philos. circa principium Ethic. Vnusquisque benè iudicat de his, quæ nouit, & horum bonus iudex est.

Adam igno-
rantiam ha-
bere nō po-
tuit.

Adā decipi
nō potuit.

Eth. 1. c. 3.

Imaginabimur quidē, qd in primis Parentibus à perfectione animæ causabatur perfectio corporis: propter quod sicut ex effectu iudicamus de causa, sic ex perfectione corporis pro illo statu possumus iudicare de perfectione animæ. Sicut ergo in corpore illo non poterat esse aliqua pœna, nec aliquis dolor, nec aliqua ægrotudo, quæ disponderet ad mortē: sic nec in anima poterat esse deceptio, nec error, nec falsum iudiciū, nec aliquod istorum, cum ista sint pœna peccati. Nam secundum Aug. in 3. de lib. arb. approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. & idem in eodē ait, qd reuera omni peccati animæ sunt duo ista penitentialia: Ignorantia, & difficultas. & quia nulla pœna poterat esse in Adam ante peccatum, nec ignorantia, nec difficultas ad iudicandū, ex quibus potest causari deceptio, potuerunt esse in Adā ante peccatum: sed post peccatum, sicut in carne inceperunt esse pruritus, dolor, & ægrotudo, & cetera talia: sic in anima potuerunt incipere esse, & fuerunt ignoratiæ, deceptiones, & errores, cuiusmodi defectus, siue quantum ad ea, quæ sunt corporis, siue quantum ad ea, quæ sunt animæ, omnes tales defectus sunt pœna peccati. Possumus autem triplicem viam assumere ad probandum præfata, Vt sit prima via ex parte originalis iustitiæ. Secunda ex parte prudentiæ inseparabiliter concomitantis eam, vel coniunctæ ei. Tertia ex parte diuinæ prouidentie.

Malum nul-
lum in Adā
esse pote-
rat.

Tomo 1.

Ignorantia
est pœna pec-
cati.

* Deceptio,
quæ est pœ-
na peccati,
est maior i-
gnorantia.
* Pœna non
pœdit cul-
pam: & pro
hac via vi-
de Agidii
Quod. 1. qd.
19. Et Quod.
3. q. 47.

* Prima via sic patet: nam exigit hoc iustitia, qd pœna non præcedat culpam. Cum ergo ignorantia sit pœna peccati, & multo magis istiusmodi pœna, * deceptio, quæ est maior: de-
Tus.

quàm ignorantia, q̄ sit talis defectus, & talis pœna, siue culpa, originalis iustitia, per quam omnia inferiora erant subiecta rationi, nullo modo esse permisisset. Nam si per originale iustitiam omnia erant subiecta rationi, propter quod quādiu ratio Adæ erat subiecta Deo, nihil poterat in eo contingere præter rationem, ergo quia decipi, & iudicare falsa pro veris est iudicium præter rationem, & contra rationem, tale quid in Adam ante peccatum nullatenus esse potuisset.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex ipsa prudentia. Nam iustitia sine prudentia esse non potest, nec e converso. Et ex hoc probat Philosophus in Ethicis virtutes esse connexas, quia non potest esse prudentia sine alijs virtutibus: quia secundum Philosophum ibidem, impossibile est prudentem esse non existentem bonum. Possunt enim mali homines esse astuti, callidi, & versipelles: sed nisi homines sint boni, & virtuosus, non possunt esse prudentes. Non est enim prudentia, sed impudentia male facere, & agere opera vitiorum. omnes. n. t. l. es, secundum Apostolum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Si ergo non est prudentia sine alijs virtutibus, multo magis alię virtutes non possunt esse sine prudentia, cum diffiniatur virtus à Philos. in 2. Ethic. q̄ virtus est habitus electivus in mediocritate consistens, prout sapiens iudicabit. In diffinitione ergo virtutis ponitur sapientia, siue prudentia: propter quod virtutes sine prudentia esse non possunt. Et quia illa iustitia originalis erat quædam virtus, Deus, cuius perfecta sunt opera, & à quo omnis relegatur invidia, infundendo Adæ illam iustitiam, infudit sibi & prudentiam, cuius est deceptiones vitare.

Tertia via ad hoc idem potest sumi ex ipsa divina providentia. Nam sicut diximus de corpore, q̄ divina providentia custodiisset ipsum ab omnibus læsionibus extraneis; sic & multo magis animam Adæ divinam providentia custodiisset ab omnibus defectibus alienis. & quia quidam defectus alienus est à natura rationali, q̄ decipiatur, cum hoc non contingat ei, vt rationalis, sed vt deficiens à ratione, Adam non solum per originale iustitiam, & per prudentiam, sed etiam per divinam providentiam fuisset ab omni deceptione custoditus ante peccatum. Post peccatum verò etiam per divinam providentiam nullos bonos relinquentem irremuneratos, & nullos malos im-

punitos, propter peccatum præfati defectus Adę, & suis posteris sunt infligti.

Ad primum dicendum, q̄ ante illam deceptionem præcessit quoddam peccatum, & quædam elatio in mente, tam Adæ, quàm mulieris: quia primum eorum peccatū, vt supra multipliciter probabatur, fuit elatio, post quam elationem secuta est deceptio.

Ad secundum dicendum, q̄ Eva non horruit serpentem: quia sciebat ipsum à Deo fuisse creatum, in quo non fuit decepta: quia sic erat, & credidit à Deo accepisse vsum loquendi. Certum est enim, q̄ Diabolus movebat linguam serpentis in illa locutione, vt valde diffusius tractat August. super Gen. & serpens erat callidior cunctis animā-

tibus terræ non spiritu proprio, sed spiritu maligno, vt dicit Aug. 1. 1. super Gen. Quia ergo spiritus malignus nihil potest, nisi vel a Deo motus, vel a Deo permissus, ad hoc verum fuit iudicium Euz in ista universalitate, q̄ serpens à Deo acceperat vsum loquendi, non à Deo iubente, sed à Deo permittente, iuxta illud August. 13. de Trin. Nihil enim visibiliter, & sensibiliter hic agitur, quod non de interiore invisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur.

Ad tertium dicendum, q̄ nunquam sensus decipitur quantum ad immutationem: potest tamen decipi quantum ad rem sensibilem exteriorē, sed verè semper sicut iudicat, sic immutatur: vt à *remo existente, partim in aqua, & partim in aere, immutatur tortuosè. Nā semper quando per pluram media oculus videt rem visam, est ibi quædam multiplicatio radij, vel lineæ visualis: quod patet, quia si ponatur turonensis argenteus in paropside, & homo elonget se à paropside, quod non videat turonensem, si impleatur paropsis aqua, incipiet turonensem videre, quod non posset esse per lineam rectā: quia cum talis linea, vel talis multiplicatio linearis fuisset prius in aere, ante appositionem aquæ vidisset oculus rem illam sine appositione aquæ: erit ergo talis visio per lineam plicatam. A parte ergo illa remi, quæ est in aqua, fit multiplicatio ad oculū per lineam plicatā: propter quod non est mirum, si oculus immutatus per lineam plicatam, iudicat rem plicatā, quod maximè contingit, quando vna pars remi videtur per aquam, & aerem, & alia pars solum per aerem. quia tunc propter diuersitatem immutationum, quarū vna fit modo plicato, & alia recto, maximè fit talis deceptio. Non decipitur ergo visus quantum ad immutationem, quin immutetur illo modo, quo iudicat. Et si * est ibi aliqua deceptio quantum ad rem exteriorē, illam deceptionem potest corrigere intellectus: quia tunc propter deceptionem sensus non oportet, quod decipiatur intellectus quod iudicet illam rem plicatam in aqua. Dato ergo, q̄ contigissent talia, non fuisset ibi etiam quantum ad sensum omnimoda deceptio, & si quid fuisset ibi deceptionis, correxisset eā per rationem, vel per intellectum, de cuius deceptione hic loquimur. Et quod dictum est de remo in aqua, dicendum est de alijs exemplis adductis,

Ad quartum dicendum, q̄ Adam nesciisset secreta cordiū aliorum, nec futura contingentia, vt contingentia sunt, nisi habuisset cognitionē talium per reuelationem: tamen cum ipse esset ratione præditus, & non protulisset iudiciū temere de ignotis, non fuisset circa talia deceptus: quia ratio eum cohibuisset, ne temerè de talibus iudicaret.

Dubitatio 1. Litteralis.



PER litteram dubitatur primò de illo verbo: Sed non esset laudabile homini, & ideo bene viuere posset, quia ei nemo malè viuere suaderet.

Sed contra: Quia tunc, si nō peccasset nec homo, nec

Serpēs quo modo callidus. Tomo 3.

Tomo 3. c. 4.

Sensus deceptio.

* Remus in aqua infusus cur fractus videatur. Idē l. pra d. 8. q. 2. artic. 5. nec propter hoc sensus decipitur circa propriū obiectum, ex 2. de anima tex. 63. nisi in obliquo, modo t. bene dispositus. & non huc: plura media, sed indebita distātia & medio tū distolito. Nā si spectemur colorē per sumū ois color est rubeus. idque intell. gū de sensu particulari, cui si admiscetur phantasia decipi potest; particularis p accidēs. Vide Theor. Zim. & The mist. loco citato. * Sēsus deceptio ab intellectu corrigitur.

Virtutes sunt connexæ. 2. Ethic. lib. 6. c. 7.

Prudēs non est nisi bonus. Ethic. lib. 6. c. 12. 13.

Rom. 1.

Virtus qd. 2. Ethic. c. 5. & 6.

Idē dist. 22. q. 1. art. 2.

Eua cur serpentem nō horruit.